

## De versibus apud Homerum perperam iteratis.

Versuum iterationem carminibus Homericis propriam esse quamvis constet inter omnes, tamen non ubique probandam esse eam neque raro inveniri versus iteratos, ubi sententiarum conexui valde oppugnent, nemo non intellegit. Alexandrini\*) quidem ut alios versus spurios, ita, de quibus agimus, *κακῶς* (*οὐ καλῶς, οὐκ ὀρθῶς, οὐκ εἰκότως, οὐ δέοντως, οὐχ ἕγιῶς*) *μειτεργεμένους* (*μετακειμένους*) tribuerunt *τοῖς διασκευασταῖς*. Zenodotus quid putaverit talibus de versibus exponit Lehrsius de Aristarchi studiis Homericis<sup>2</sup> p. 342: „Inclinabat, ut uno tantum loco relinqueret“ cf. Aristonicum ad *I* 23 sqq, *Θ* 493 sqq. Itaque plures versus saepius contraxit (*συνέτεμε*) ut *B* 60 sqq, *I* 23 sqq. Addere liceat, aliis locis Zenodotum retinuisse versus pessime translatos, ut *Θ* 501 *E* 808 *II* 710, et remotos ab Aristarcho. Quem in carminibus Homericis purgandis unice versatum ad hosce versus potissimum intendisse animum demonstrat, quod proprias usurpavit notas criticas, ut quo loco recte, quo falso versus positi esse sibi viderentur significaret: asteriscum et asteriscum cum obelo coniunctum.\*\*\*) Obelum quidem quamquam et eum saepius posuisse, quam necesse, profitetur ipse Lehrsius l. c., tamen plurimis locis cauto circumspectoque iudicio usum esse eum invenies. Nititur non suo ipsius arbitrio plerumque, sed e poetae consuetudine causas petit atheteseos. Itaque cum nobis proposuerimus de versibus apud Homerum perperam iteratis

\*) Usus sum Aristonici libro *περὶ σημείων Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσεΐας*, cuius reliquias e scholiis excerpterunt Friedlaenderus et Carnuthius. — Versus iteratos colligentem adiuvat Seberi index Homericus.

\*\*) Versus ab Aristarcho in Iiade obelo et asterisco notatos collegit L. Schwidop: „de versibus, quos Aristarchus in Homeri Iiade obelo notavit.“ Regim. 1862 p. 38 sq.

aliquanto accuratius disquirere, quam adhuc factum est, Aristarchi atheteses imprimis percensuimus, ut, quam rationem secutus sit ille, cognoscatur. Quae mirum quantum ab iis neglecta est, qui nostris temporibus talibus de versibus disseruere, quippe qui iam suo ipsorum arbitrio usi, non fundamento ab Alexandrinis iacto nisi carmina Homerica vel Homero ipso antiquiora restituere susciperent. — Quamquam recentiorum studia antequam scholia Homerica in lucem prodirent, nihil fere profuerunt. Angelus quidem Maria Riccius, cuius mihi in manus venire dissertationes Homericae a. 1784 editae paulo ante codicem Venetum A repertum in dissertatione sexta, quae est „de repetitionibus Homero familiaribus“ p. 50 „liquet, ait, ubicunque eadem verba Homerus aut sententias repetit sive linguae ingenio, sive priscae consuetudini obsecundasse, cum praesertim non sine lepore ac venustate huiusmodi ab eo fieri repetitiones, ex eo manifeste appareat, quod nemo unquam veterum illas in eo culpavit, sed magis illum ea de re plerique amarunt et commendarunt“ (ut Macrobius). Postquam autem Alexandrinorum studia innotuerunt et accesserunt viri docti ad Homeri carmina accurate percensenda, nec fugit facile quidquam, quod Horatio poeta „dormitans“ composuisse visus est et versuum iterationibus saepe inepte positis valde offensum est. Ac primus quidem Spohnius in commentatione de extrema Odysseae parte Lips. 1816 edita, quantum intersit inter genuinas et Homeri arti proprias atque eas repetitiones ostendit, quae ab interpolatoribus originem ducant: „Illae ingenio nativo, hae arti; illae luxuriam et ubertatem, hae imitationem loquuntur; illic poeta quasi flores orationis et ingenii larga manu effundit, nec curat, ne iidem bis cadant e calatho, hic flores ab alio sparsos studiose colligit et coronae suae iis adornandae internectit“ (p. 213). Extrema Odysseae pars talibus iterationibus, quas collegit Spohnius p. 215—220 abundat et luculentissimum praebet exemplum artis Homeridarum.

Tum Godofredus Hermannus certas quasdam de iteratione Homerica regulas statuit dissertatione „de iteratis apud Homerum“ conscripta a. 1840 (quae nunc legitur in opuscul. vol. VIII p. 11 sqq, quod edendum curavit Fritschius Lips. 1877). Vir doctissimus Wolfianorum castra secutus,\*) dissimilitudinem iterationum Homericarum, quarum aliae necessariae, aliae supervacaneae, aliae certae, aliae incertae sint, aliae placeant, aliae displiceant, multum contendit conferre ad confirmandam Wolfianorum et Lachmannianorum opinionem. Recte repeti putat versus apud Homerum bis vel saepius; 1) si eadem, quae per ipsum rerum narrandarum ordinem saepius redeant, eisdem verbis describantur; 2) si mandata eisdem verbis, quibus accepta sint, referantur; 3) si poeta versibus saepius utatur, qui praecipuam quandam gravitatem et singulare pondus habeant, ut *ἔσπετε γῶν μοι, Μοῦσαι, Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι*. Plerasque autem alias iterationes ferendas non esse censuit et clarissime carmina separatim facta testari. Aut eundem poetam in diversis carminibus ipsius versibus usum esse atque

\*) cf. quae scripsit Hermannus „de interpolationibus Homeri“ 1832 opusc. vol. V p. 52 sqq. et „Ueber Homer und Sappho“ opusc. vol. VI p. 70 sqq.

id eo magis, quod apud diversos auditores diversa carmina caneret, aut alios poetas ex antiquioribus vel eadem aetate ab aliis compositis carminibus versus sumpsisse, ut sua aliunde petitis comerent. Qui componerent ex carminibus diversis haec, quae nunc haberemus corpora, Iliadem et Odysseam, eos iterationes tali modo ortas neque removisse et ipsos, ut conglutinaerent membra et construerent formam carminum Homericorum nobis traditam non raro versuum iteratione usum esse. — At Hermannus talia cum statueret non satis videtur considerasse, quam late pateret versuum iteratio. Iterationum Homericarum tantum esse numerum, ut perpauci sint versus, qui non legentes aliorum admonefaciant contendit I. Bekkerus (Homer. Blätter I, p. 185); id quod re vera ita sese habere facile is sibi persuadebit, cuius in manus venire Ellendtii operis „Parallel-Homer“ frustula (Progr. Colleg. Fridericiani Regim. 1871; drei Homerische Abhandlungen von Joh. Ernst Ellendt Lips. 1864)\*). Quid, quod Iliadis libri XI sexta, Odysseae libri I quinta pars e versibus constat iteratis? Mihi quidem iterationes frequentissimae clare videntur demonstrare, non esse Homeri carmina compositis et consutis partibus orta, quarum alias alii poetae pari studio non coniuncti cecinissent, id quod volunt qui magis discerptis delectantur Homeri membris, quam admirabili totius corporis forma ac compositione. Tanta verborum versuumque iterationum frequentia fieri non potuisset, nisi maximam Homericorum carminum partem vel unus composuisset poeta vel complures pari studio coniuncti eademque arte instituti. Cum autem carmina longum per tempus litteris non mandata a rhapsodis canerentur „unicis, ut ait Wolfius, illorum depositariis“, quid mirum, si sententiarum vel vocum similitudine lapsi versus male transposuerunt, quoniam „ne tenacissima quidem memoria a scriptis exemplaribus destituta non vacillat interdum et paulatim longius a fide desciscit“? Accedit, quod rhapsodos non raro de industria versus ab ipsis compositos addidisse vel Homericos iteravisse versus veri simillimum est ita ut, si non paucae inveniuntur iterationes bono poeta indignae, quin a rhapsodis ducant originem nemini eorum artem qualis fuerit consideranti, dubium esse possit. Tali modo carmina cecinisse rhapsodos, ne Hermannus quidem plane negavit, cum, ubi plura similia inveniuntur coniuncta, vestigium deprehenderet rhapsodorum eas partes, quae ornatui factae erant, pro suo arbitrio tractantium. Cur non quantum ceterarum iterationum, quas Homero abiudicandas censuit, iisdem rhapsodis tribuendum esset, disquisivit? Certe viro doctissimo opprobrio dandum est, quod hoc plane neglexit. — Neque aliter de Hermanno eiusque ratione sensit vir de Homero optime meritus G. Guil. Nitzschius in libro, qui „Die Sagenpoesie der Griechen“ inscribitur Brunsvig. 1852 cap. XXII—XXV. „Er rügte, inquit vir doctus cap. XXIV, ohne Interpretation und ohne Erwägung der rhapsodischen Diaskeue“, Nitzschius ipse l. c. p. 150—163 nonnulla iterationis Homericæ

\*) Qui nuper prodiit in lucem liber: „a complete concordance to the Odyssey and Hymns of Homer, to which is added a concordance to the parallel passages in the Iliad, Odyssey and Hymns“. Oxford 1880 confectus ab H. Dunbar nondum cognovimus.

exempla affert neque indicat de iis nisi accurate perspectis, quae de Alexandrinorum iudicio tradita sunt.

Post Nitzschium virorum doctorum nemo de iteratione Homerica accuratius disquisivisse videtur, quamquam de singulis locis permulti, ut oblata est occasio, permulta disputaverunt. Unus P. D. Ch. Hennings. Hermannum secutus in dissertatione de Telemachia conscripta (Jahrb. f. Philol. III. Supplbd. p. 152) regulas de iteratione Homerica composuit ita tamen, ut ne uno quidem verbo confirmaret. Quae regulae quales sint, haec ex pluribus sumpta demonstrat. „Wem in zwei verschiedenen Liedern einer oder mehrere solche Verse sich wiederholt finden, so sind sie in beiden Liedern echt, natürlich abgesehen von dem Fall, dass die eine von beiden (Stellen) interpoliert ist“ id est: genuini sunt, nisi interpolati. Admirabili sane regula sagacitate reperta! Accedit, quod tales si statuis regulas, prius necesse est diversa illa carmina demonstrantur, id quod adhuc Lachmannianorum studiis factum esse equidem nego, ac negat, puto, quisque, qui sine ira ac studio ad Homeri carmina percensenda accessit. Priusquam igitur extiterit aliquis, qui, ut Hermanni ipsius verbis utar, carminum Homericorum compositionem ita in singulas partes resolvat, ut quid cuique partitribuendum sit, satis probabiliter definiatur, quem unquam proditurum esse negem, nostro iure id agere nobis videmur, ut rhapsodorum vestigia demonstrare conemur, ubicunque versus male iterati inveniuntur.

I. Accidit persaepe in carminibus Homericis ut uni versui ex sua sede in aliam recte translato subsequens a rhapsodis adderetur sententiarum conexu minime conveniens. Cuius rei exemplum attulit Friedlaenderus *Analecta HomERICA* Cap. IV luculentissimum, non paucos versus tali modo insertos indagavit Aristarchus, complures reperere recentiores, nonnullos nos primi invenisse videmur, quos deinceps omnes iam percensebimus.

1) *A* 177 spurium censuit et ex *E* 891 translatum Aristarchus; nec, quin suo iure expunxerit, dubitamus. Inepte Agamemnon Achilli, si versum retineremus, probro daret, quod *πόλεμοί τε μάχαι τε* ei essent iucunda. Ex *Iliados E*, ubi si non idem, at simillimus antecedit versus rhapsodorum negligentia in *A* irrepsit. Ceterum erravit Nitzschius, cum scriberet l. c. p. 150, se dissentire ab Aristarcho de *A* 177, quem eiecerit ille in *E*, retinuerit in *A*. At utroque loco Aristonicus, in *A* respuisse versum Aristarchum commemorat.

2) Minus placet, quod *II* 236 ut falso versui antecedenti adhaerentem expunxit Aristarchus: *οὐ γὰρ εἰκότως Ἀχιλλεὺς ἐπιχάσσει ἢ ἦτι τῶν Ἑλλήνων, ὁ δὲ Χρόσης* (cuius *A* 454 sunt verba) *βάρβαρος καὶ μισέλλην.* At Achillem nonne re vera Graecorum clade gaudentem finxit poeta? Nonne orat matrem, petat a Iove, ut adiuvet Troianos, Graecos clade gravissima afficiat? (*A* 410) Tum demum honorem recuperare posse sibi videtur (*A* 352 sqq. 503 sqq.) Moribus igitur viri et rerum conexu aptissime Achillem, postquam Graeci paene periere ab hostibus Iove adiuvante, dicentem facit poeta *II* 236 sq.: *ἦ μὲν δὴ ποί' ἐμὸν ἔπος ἔκλυες εὐζαμένοιο, τίμησας μὲν ἐμέ, μέγα δ' ἴψαω λαὸν Ἀχαιῶν.* Aristarchum talibus in rebus

opinionem indulgisse concedit Lehrs; obelis notavit complures versus, quos *οὐκ εἰκότως* vel *ἀπροεπιώς* positos censuit. cf. Lehrs. Arist. p. 338 sqq.

3) *B* 27 Aristarcho ex *Ω* 174 irrepsisse visus est; hic *ὄφθως* Iridem Priamum filium dilectissimum lugentem allocutam usurpare versum, priore loco non esse, cur misereat Agamemnonis Iovem. Neque assentiri Aristarcho equidem dubitaverim.

4) Sine ulla dubitatione probandi sunt Alexandrini, quod eiecere *A* 13, 14 cum antecedenti versu ex *B* 452 recte repetito male coniunctos. Posteriore loco cum de redita omnino non cogitaverint Graeci, dici de iis non potest: *τοῖσι δ' ἄφρα πόλεμος γλυκίων γένοι' ἢ ἐνέσθαι*.

5) *E* 808 retentum voluit Zenodotus, eiecit Aristarchus optimo iure. Veteri, inquit Minerva Diomedem allocuta, patrem tuum Tydeum, cum venisset Thebas, altercari vel pugnare cum hospitibus; tamen provocavit ad certamen Cadmeorum iuvenes omnesque vicit. Quem sententiarum conexum fieri non posse, ut sequatur: *τοίη οἱ ἐγὼν ἐπιτάξομαι ἦα*, quis est, quin intellegat? *ἢ γὰρ Ἀθηναῖ οὐ φησι παροισθύνειν, ἀλλὰ κολύειν*. Bene versus legitur *A* 390.

6) *E* 122 translatum esse in *Ψ* 772 animadvertit idem Aristarchus: in *Ψ* Ulixes rogat Minervam, ut victoriam sibi cum Aiace cursu certanti praebet; audit dea virum precantem nec non, cui semper favebat, adiuvat et ita adiuvat, ut Aiace paulo ante metam loco stercoreoso labentem faciat, non ita, ut Ulixis membris aliquantum iniciat roboris; nam *ἐνταῦθα ὀλίγω λείπειαι τοῦ Αἴαντος, εἰ οὐκ ἰὰ γυνῆ ἐλαφρὰ ἐποίησεν, ἐνίκα ἂν πάντως. πρὸς τὴν οὐκ ἔτι τὸν Αἴαντα κατέβαλεν*; Ceterum his causis ab Aristarcho allatis hanc addiderim: Cur Minerva currenti non modo pedes, sed etiam manus firmiores et celeriores reddit? quid? currenti opus est manibus? *E* 122 et *N* 161 dimicatur et dimicantibus suo iure confirmat dea et pedes et manus. Dubitare editores Aristarchi athetesin probare.

7) Cum renuntiaret Ulixes *I* Achillem nullo modo potuisse commoveri, ut Graecos adiuvaret, *πάντες ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῆν*, tristitia nimirum affecti omni spe salutis abiecta, non ut voluit rhapsodus neglegenter canens *μῦθον ἀγασσάμενοι, μάλα γὰρ κρατερῶς ἀγόρευσεν*. Versum ex *Θ* 29 petitum expunxit Aristarchus.

8) De Rhesi equis ab Ulixo ac Diomede privatis et in Graecorum castra ductis dici non posse: *τῆ γὰρ φίλον ἔπλετο θυμῷ* nemo non intellegit. Non dubito, quin Aristarchus versum eiecerit, quamvis scholia huiusce versus athetesin non commemorent. Ceterum accidit nonnunquam, ut post Aristarchum versus insererentur, ut *Θ* 540 male ex *N* 827 additus est. cf. Friedlaenderum Aristonic. p. 150. Nescio igitur, an veteres *K* 530 omnino ignoraverint.

9) Nonnunquam interpolationes deprehenduntur eo, quod, qui inseruit versus conditionis, in qua est de quo agitur plane oblitus est. De Hectore, qui summo impetu hostes aggreditur, dictum est

*A* 540 *ἀντὶρ ὁ τῶν ἄλλων ἐπεπολεῖτο σίχας ἀνδρῶν*  
541 *ἔγχει τ' ἄοσι τε μεγάλοισι τε χερμαδίοισιν.*

Alterum versum equidem — ante me nemo offendisse videtur — eiciendum puto. Nam cum Hector in curru sit, id quod antea 531—537 accurate describitur, fieri non potest, ut lapides iaciat. Non habebant antiqui *χερμάδια* in curru, sed utebantur iis, ubi in terra iacebant: hoc apparet ex aliis non raris locis, quos contuli omnes. Vim vocis *χερμάδιον* si vis perspicere, confer  $\Theta$  320, ubi Hector de curru desilit, ut lapide, qui in terra iacet, petat Teucrum. Porro confer  $\Xi$  410, ubi Aiax Hectorem aggreditur *χερμάδιον*, *τά δα πολλά, θοάων ἔχματα νηῶν παρ ποσὶ μαρναμένων ἐκνλίνδετο*. His, quibus *χερμάδια* commemorantur, locis *πέζοι* sive *πρηνέες* sunt viri, nusquam ante pugnam lapides in currum conferuntur. Quae cum ita sint, nostro iure  $\mathcal{A}$  541 eicimus, qui adhaesit antecedenti e  $\mathcal{A}$  264 bene iterato. — Tamen uno alio loco  $\Pi$  411 de viro in curru certante et lapide utente res est: dicitur de Patroclo *ἀντιὰρ ἔπειτ' Ἐρῶλαον ἐπεσόμενον βάλει πέτρον*. At cum  $M$  154  $\mathcal{A}$  265  $E$  302  $\Theta$  321  $Y$  285  $E$  582  $\Xi$  410  $\Pi$  578, 587  $\mathcal{A}$  518  $\Pi$  734  $Y$  288  $H$  270 ab ipsa terra viros videamus lapides tollentes, non dubito hunc alterum quoque locum expungere: finxit interpolator  $\Pi$  411—414 e versibus alibi bene positus  $Y$  288 et  $\Pi$  578—580. Ceterum animadvertas, quam simile sit initium versuum spuriorum genuinis: 411: *ἀντιὰρ ἔπειτ' Ἐρῶ] λαον κιλ.* 415: *ἀντιὰρ ἔπειτ' Ἐρῶ] μάνια κιλ.* Paulo post  $\Pi$  587 suo iure utitur Patroclus lapide, nam  $\Pi$  426 *ἔκθορε δίφρον*. Haec quoque, quam notavimus interpolationem, adhuc fugisse videtur viros doctos. — Similem rhapsodorum negligentiam deprehendimus  $N$  749, ubi Hector de curru desilire narratur, quamquam eo tempore omnes Trojani *πέζοι* sunt, nam currus extra castra reliquere cf.  $M$  80 sqq. Male adhaesit hic quoque versus antecedenti, quem  $M$  80 recte sequitur. — Alio loco eandem negligentiam interpolatoris indagavit Friedlaenderus Philol. vol. IV: „Ueber die doppelten Recensionen in Iliade und Odyssee.“  $Y$  490 sqq. duo similia inveniuntur coniuncta, quorum alterum qui composuit Achillem *πέζοι* esse non ignoravit, alterum autem qui addidit plane oblitus est, cum Achillis equos cum bubus compararet.

10)  $\mathcal{A}$  356 asterisco et obelo notavit Aristarchus, quod cum mortiferum vulnus non acceperit Hector, dici de eo non possit: *ἀμφὶ δὲ ὄσσε κελαινήν ῥῆξ ἔκάλυψεν*.  $E$  309,10 ubi iidem versus leguntur coniuncti, Aeneas vulnere mortifero accepto interiisset, nisi Venus servasset eum. At errasse virum doctum tibi persuadebis, si contuleris  $X$  libri versus, quibus Andromachen animo relinqui narrat poeta Hectorem videntem ab Achille crudelissime tractum:

$X$  466 *τήν δὲ κατ' ὄφθαλμῶν ἐρεβερρήν ῥῆξ ἔκάλυψεν*  
*ἦριπε δ' ἐξοπίσω, ἀπὸ δὲ ψυχὴν ἐκάπυσσεν.*

475 *ἦ δ' ἐπεὶ οὐκ ἄμπννιο καὶ ἐς γρόνα θυμὸς ἀγέροθῃ κιλ.*

Simili modo Hector ita vi hastae a Diomede summo impetu iactae concutitur, ut animo relinquatur: tum  $\nu$ . 359 *ἄμπννιο*.

11) E Patrocli oratione, qua ut adiuvet Graecos petit ab amico, bis versus irrepserunt in Nestoris, qua Patroclum ipsum admonet, ut Achillem excitet. Cum priore loco ( $\mathcal{A}$ ) non iam transcenderint castrorum murum Troiani neque usque ad naves progressi sint, non est cur addat Nestor

*A 802, 3 ὅττι δὲ καὶ ἀκμήτες κεκμηότας ἄνδρας αὐτῆ  
ὄσασθε προὐ ἄσιν νεῶν ἄλο καὶ κλισιάων.*

Nec sunt iam defessi Trojani, id quod bene dicitur *II 44* de iis, postquam acerrime apud naves pugnatum est. Expunxit versus *A 802,3* ut male adhaerentes antecedenti Aristarchus. Nec melius usurpat Nestor versum *A 662 βέβληται δὲ καὶ Εὐρύπυλος κατὰ μηρὸν ὄσσιφ*, cum de Eurypylo vulnerato ad id temporis certior factus non sit. Patroelo ex Nestoris tentorio exeunti ipse obviam fit Eurypylos vulnere saucius et e proelio rediens. Hermannus cur hoc loco diversorum carminum vestigia deprehenderit et versum de quo agimus retinuerit exponit opuse. V p. 59 sqq. Satis mihi redarguisse videtur Nitzschius l. c. p. 235 sqq. virum doctissimum.

12) *O 561 ὦ φίλοι, ἀνέρες ἔστε, καὶ αἰδῶ θεῶν ἐνὶ θυμῷ  
ἀλλήλους ἵ αἰδεῖσθε καὶ κρατερὰς ἑσμίνας,  
αἰδομένων δ' ἀνδρῶν πλεονες σοοὶ ἤμ' ἐργαται.*

v. 562 expunxit Bekkerus ed. alt. commotus, ut videtur, quod altero idem exprimitur, quod priorē. At videtur mihi v. 561 rhapsodorum negligentia aliqua ex parte corruptus: nescio an finis v. 561 irreperit ex v. 661, ubi optime legis: *ὦ φίλοι, ἀνέρες ἔστε καὶ αἰδῶ θεῶν ἐνὶ θυμῷ ἄλλων ἀνθρώπων.* Nostro loco legendum est, si quid video:

v. 561 *ὦ φίλοι, ἀνέρες ἔστε καὶ ἄλκιμον ἦτορ ἔλεσθε  
ἀλλήλους ἵ αἰδεῖσθε καί.*

ut legitur *E 529—532.*

13) *ε 91* ex *Σ 387* pessime translatus est adhaerens antecedenti. Causa patet.

14) Quantum disputatum sit a viris doctis de Minervae oratione *α 253—305* ex *K a m e r i* libro, qui „die Einheit der Odyssee“ inscribitur (Lips. 1873) licet cognoscere. Sustulit vir doctus haud leve verborum vitium, quod v. 292 paululum mutatum ex *β 222* huc translatum esse docuit et eum antecedenti male adhaerentem. De causis athetescos cf. Kammerum l. c. p. 259.

15) Stulte a dormitante rhapsodo *γ 199,200* ex *α 301,2* insertos esse apparet; nec fugit oratio vitiosa veteres, Aristophanem et Aristarchum. Ineptos esse versus ostendunt quae sequuntur, imprimis v. v. 211,12, e quibus intellegitur, Nestorem de prociis eiciendis antea non iam cogitasse.

16) Exemplum versus antecedentem male subsecuti attulit Nitzschius adnotationum ad *Odysseam* conscriptarum vol. I p. 159. Nestor de patre a Telemacho interrogatus Ulixis consilio et prudentia summis laudibus elatis Graecorum reditum enarrat; huc versus *γ 131* pessime translatus est e v. 317: nam dici non potest, Graecos naves conscendisse priusquam antea gesta (*γ 132—153*) commemorata sint. *γ 153* recte dicitur: *ἦ ὦ θεῶν νέας ἔχομεν εἰς ἄλλα διαί.*

17) Ulixes, ut tandem sibi fides habeat Eumaeus dominum mox rediturum esse contententi per Iovem, per hospitis mensam, per ipsum Ulixis focum, ad quem pervenerit, iurat sese verum dixisse *ξ 158* sqq. Animadvertit iure Aristarchus, Ulixem hoc loco addere non debere *ξ 159 ἰστίη ἵ Ὀδυσῆος ἀμύμονος, ἦν ἀφικάνω* nam non iam pervenisse Ulixem ad ipsius domum. Ireperit versus ex *τ 304*, ubi ab eodem in Ulixis aedibus pronuntiatur.

18) Versus  $\sigma$  227 sqq. vexaverunt viros doctos et veteres et recentiores. Offenderunt eo, quod Telemachus hoc dicere videtur: iam non puer sum neque ignoro bonum et malum discernere, sed omnia recta bonaque cognoscere nescio; tum quod v. v. 233 sqq. cum antecedentibus cohaerere non videntur. Veteres sanare locum conati sunt athetesi v. 229, qui idem simili praeunte legitur v. 309 (cf. Aristonic. *ἡθέτει καὶ Ἀρίστοταρχος*, ubi La Rochius non sine causa legit: *Ἀρίστοφάνης*) quos secutus est Bekkerus ed. alt. Quo versu eiecto hic fit sententiarum conexus: video omnia, quae fiunt, sed non eo sum consilio, ut quaque in re quid sit bonum rectumque possim intellegere. Quae quam indigna sint Telemacho epitheto *πεινυμένος* ornato iam vides. Aliam medicinam attulit Friedlaenderus Anal. Homeric. p. 476, cum duas statueret recensiones in unam coactas v. v. 227—29, 233, 234 et 227, 30—32. Equidem versus usque ad v. 232 eodem, quo traditi sunt ordine retinuerim, ita ut hic sententiarum sit conexus: „Mater, inquit Telemachus, quod irascaris de eis, quae facta sunt, aegre non fero; quod autem imperitiae meae (cf. v. 215, 220) probro dedisti, bene non fecisti: iam enim optime, quid bonum sit, quid malum intellego. Saepe autem res superbia procorum plane turbatae impediunt, quominus semper recto utar consilio“. *πεινυμένα πάντα νοῆσαι* non significat idem, quod *νοῆσαι ἕκαστα, ἐσθλά καὶ χέριχα*; immo opposita mihi videntur. Hoc de honesto dicitur, illud de prudenti consilio. — v. v. 233 sqq. non dubitaverim cum Kammero eicere ut interpolatos ab rhapsodorum aliquo, qui inseruit, ut certaminis Ulixis cum Iro facti et ipsius inserti hoc loco ratio haberetur.

19) Pari versuum fine commotus videtur aliquis eorum, qui carmina HomERICA canebant, ut  $\sigma$  330—32 et  $\sigma$  390—92 insereret: utroque loco, qui antecedit versus voce *ἀγορεύεις* finitur. Eiecit versus suo iure Aristarchus, nam posteriore loco Eurymachus iratus invehitur in mendicium, qui apud procos liberrimam habuit orationem, aptissime: *οἱ ἀγορεύεις θαρσαλέως πολλοῖσι μετ' ἀνδράσιν, οὐδ' εἰ θυμῷ ταρβείς*. — Priore loco ancillas allocutus est Ulixis, ubi *οἱ ἀγορεύεις πολλοῖσι μετ' ἀνδράσι* quam inepte posita sint, satis apparet.

20) Huc pertinere mihi videntur, quae scripsit de versus  $\vartheta$  58 athetesi vir artis rhapsodorum peritissimus Guil. Jordanus. Cum caneret rhapsodorum aliquis, ait vir doctus in Fleckeisenii annalibus vol. XIX (Novellen zu Homeros 3) versum  $\vartheta$  57, addidit verborum similitudine commotus, ut v.  $\vartheta$  16 meminisset, initium versus  $\vartheta$  17 *ἀγορευμένων πολλοὶ δ' ἄρα* et cum intellegeret statim, finem v.  $\vartheta$  17 posteriore loco ferendum non esse, pro suo arbitrio novum composuit finem: *πολλοὶ δ' ἄρ' ἔσαν νέοι ἠδὲ παλαιοί*; id quod eo probabilius mihi videtur, quod sibi ipsi sua carmina recitanti tale quid saepius accidisse confirmat Jordanus. — Eundem rhapsodorum lapsum deprehendit  $\eta$  255; fini versus  $\eta$  254 *ἐνθά Καλυψὸ* additas esse contendit voces e versu  $\eta$  246 petitas: *ναίει ἐνπλόκαμος, δεινὴ θεός*, et ab ipso rhapsodo compositas *ἢ με λαβοῦσα*. Aliter Lehrsius de hoc versu sensit Arist. p. 438, qui *νήσον ἐς Ὠγγίην πέλασαν θεοί, ἢ δὲ λαβοῦσα* statuit versum genuinum. Ceterum Aristarchus totum locum 251—258 spurium censuit, quem secutus est Bekkerus.



II. Solet Homerus, quae per ipsum rerum narrandarum ordinem redeunt, eisdem referre verbis. Ita exitere formulae quaedam, quibus si narrat poeta cenam parari, vestem et arma indui, navem appellari, retinacula navium solvi, iusiurandum iurari, cetera, quae res fert, iisdem fere semper utitur. Sed cum nihil caneret sine ratione divinus poeta, hasce formulas, ubi res postulavit, commutavit, omisit unum alterumve versum, varias verborum compositiones usurpavit. Rhapsodi autem iusto neglegentius canentes non raro talibus sententiarum conexui aptis mutationibus omissis formulam, qualis plerisque aliis invenitur locis, restituere. Alexandrini quidem *διασχεναστωῶν* vestigium deprehenderunt, ubicumque formulam viderunt adhibitam sententiarum conexui minus convenientem; nam quamquam poetae consuetudinem semper esse servandam sibi persuaserunt, tamen valde offenderunt in versibus supervacaneis neque re narranda postulatis. Eam igitur constituerunt legem, ut reciderentur omnino, quae res non postularet. Unum satis habeo attulisse exemplum. Expunxerunt  $\Theta$  385—87, quibus accurate Minervae arma describuntur, retinuerunt eisdem versus *E* 734 sqq; hic enim *πράττειται τινα. ἐνταῦθα δὲ πρὸς οὐδὲν ἀνάλαβάνει τὴν παντελήν*. Neque nos hac in re Aristarchum sequi dubitamus, nec probamus recentiorum nonnullorum, ut Nitzschii, sententiam, qui formulas usitatas retinendas censuere vel naturae loci minime aptas. Nam et variare poetam tales formulas et aptare locis, satis multa docent exempla:  $\beta$  1—5,  $\delta$  306—310 accurate describitur, quomodo Telemachus et Menelaus vestes induerint, et eisdem verbis describitur, tamen de Nestore  $\gamma$  405, de Alcinoο  $\vartheta$  2 haec satis habet dixisse poeta: *ὄρνυ' ἄρ' ἐξ ἐννήγιν (ἐννήγης)*. Item in  $\epsilon$ , ubi Calypso iurat, nolle sese Ulixi nocere, deorum ius iurandum accurate affert poeta, in  $\kappa$  simillimo loco nihil dicit nisi haec: *ἦ δ' αὐτίκ' ἀπώμνεν ὡς ἐκέλευον*.  $\eta$  238 poeta formula usitata: *τίς πόθεν εἶς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆς κιλ.* loco aptata hunc composuit versum: *τίς πόθεν εἶς ἀνδρῶν; τίς τοι τάδε εἶμαι ἔδωκεν*. Et aliis locis variavit formulam usitatam poeta atque exornat novis versibus, ubi tota res accuratius exponitur, ut initio libri *A*, qui continet Agamemnonis *ἀριστείαν*, triginta versibus, quomodo arma induerit heros, exponitur, quod alibi quattuor. *διπλῆν* igitur appinxit Aristarchus, *ὅτι ἐπενείληγεν ἐξεργαστικώτερον τὰ περὶ τῶν ὀπλισμῶν τοῦ Ἀγαμέμνονος προεπιτηδύων αὐτοῦ τὴν ἀριστείαν*. Eadem de causa usurpat Agamemnon ense *χρησόηλον*, alibi (*B* 45) *ἀργυρόηλον*. Improbamus igitur et Wolfianos, qui ubi talia variantem vident poetam, diversorum carminum vestigia deprehendant et Nitzschianos, cum ubique usitata mutatis praeponere malint. cf. Lehrs. Arist. p. 347. — Iam ad singulos transeamus locos, quibus aut rhapsodi neglegentia lapsi aut recentiores sine ulla causa offensi videntur.

1) Formula, quam modo commemoravimus *τίς πόθεν εἶς ἀνδρῶν κιλ.* alibi quoque loco aptanda est. Aristarchus asteriscos et obelos appinxit

*α* 171 sq. *ὀπιοῆς ἐπὶ νηὸς ἀφίξο; πῶς δέ σε ναῖται  
ἤγαγον εἰς Ἰθάκην; τίνας ἔμμεναι εὐχέτοιοιο;*

quibus versibus Telemachus interrogat Minervam. Neque est, cur virum doctissimum sequi dubitemus: nam parum liquet, qua re commotus Telemachus hospitem in aliena navi *ἔμπορον ὄντα* advenisse putaverit. Mendicum quidem non sua ipsius navi advectum esse, recte suspicantur Eumaeus et Telemachus  $\xi$  188, 89 et  $\pi$  57—59; fortasse fuere nostro loco ante interpolationem  $\omega$  298—301 vel 298 (=  $\alpha$  170) et 299:

*ποῦ δὴ νηῦς ἔστιν ἐξ Ἰθάκης, ἢ σ' ἤγαγε δεῦρο;*

praesertim cum respondeat Minerva

*$\alpha$  185 νηῦς δέ μοι ἤδ' ἔστιν ἐπ' ἀγροῦ νόσφι πόλλος.*

Nec melius positi sunt versus  $\pi$  223, 24. Kammerus quidem cum l. c. p. 604 sq.  $\pi$  216—321 non sine causa ut partem male interpolatam eiceret, cum in aliis, tum in v. v. 222—24 valde offendit et eo offendit, quod iterum Telemachus eadem interrogat Ulixem, quae paulo ante Eumaeum, quomodo hospes Ithacam pervenerit, id quod equidem non improbem; nam aliter Ulixem, aliter mendicum advenisse intellegit Telemachus et ficta esse ea, quae antea mendicus de adventu suo narraverit. Iterum igitur interrogare debet filius patrem, sed apta formula usus non est, qui totam partem interpolavit. Unde enim compertum habuit filius, in aliena navi suisque amissis patrem domum pervenisse? Debebat igitur interpolator aptiores componere versus.

2) Tertium addimus locum, quo advenas non bene interrogari apparet.  $\gamma$  71—74 Nestor e Minerva et Telemacho cenatis quaerit, qui sint, unde ad se pervenerint, utrum *κατὰ προῆξιν* an piratarum modo navigent. Aristarchus huc ex  $\iota$  253—55 versus 72—74 translatos esse contendit, Aristophanes retinuit hoc loco, expunxit illo. Nos non dubitamus Aristarcho et Kammero assentiri, qui eisdem de versibus egit l. c. p. 421 sq. Nitzschius l. c. p. 154 utroque loco retinuit versus secutus Thucydidem, qui veteres poetas *πανταχοῦ ὁμοίως* navibus advectos interrogatos fecisse contendit (I, 5). Wir nennen es, inquit vir doctus, die Formel der Sitte.

3) Hospites antequam cibum capiant, *αἰδοίη ἰαμίη* mensam extruit cibus et manibus famula aquam superfundit. Sic  $\alpha$  136—140,  $\delta$  52—56,  $\eta$  172—76,  $\kappa$  368—72,  $\omicron$  135—38,  $\rho$  91—95, iidem usurpantur versus, sed minime ubique apti. Quae improbavere viri docti, haec sunt: Kammerus quidem l. c. p. 146 sq. cum in  $\delta \kappa \rho$  paulo ante lavati et uncti sint hospites, eiectos vult his locis versus *χερσὶνα δ' ἀμφίπολος* usque ad *ἰθάπτεζαν*.  $\kappa$  368—72 iam expunxit Wolfius ut inepte positos, cum antea legerentur 348—359, quibus quattuor familiae fontibus natae cenam parare dicuntur:  $\eta$  174 obelo notavit Aristarchus, nam „habuit Laodamas, cuius sellam Ulixes occupavit, suam mensam, cum nondum cubitum ivissent Phaeaces“ (Carnuthius) et *οὐ ποιεῖ τὰς ἰθάπτεζας ἀγαιρομένης παρόντων τῶν δαιτυμόνων, ἀλλὰ μετὰ τὴν ἀπαλλαγὴν*, id quod confirmavit versibus  $\Lambda$  262 et  $\Omega$  476. In  $\alpha$  et  $\delta$  his versibus, de quibus agimus, additi sunt

*δαιτὸς δὲ χειῶν πίνακας παρέθηκεν ἀείρας  
παντοίων, παρὰ δέ σφι τίθει χόρσεναι κίπελλα,*

qui nullo modo possunt coniungi cum versu antecedenti: *εἶδαια πόλλ' ἐπιθεῖσα, χαρίζομένη παρ-*

*εόντων*, nam *εἶδαια* idem significat, quod *χοῖα παντοῖα* cf.  $\chi$  20, 21. Itaque editores, quantum video, utroque loco versus *δαιμόν* usque ad *κύπελλα* eiecerunt; quorum priorem iam Athenaeus spurium censuit. Equidem confiteor, me causam atheteseos neutro loco invenisse, nam quae attulerunt editores, eorum ne unum quidem verbum probabile esse mihi videtur, nec magis probo Nitzschium, qui *ἴθει σφι* usurpari non debere contendit, nisi ubi duo hospites advenerint (ut in  $\delta$ ). At in  $\alpha$  nonne uterque cenantium utitur poculis? Non intellego, cur eorum, qui  $\alpha$  110—112 cenam procis paraverunt, quisquam carniū discissarum patinas Telémacho et Minervae offerre non debuerit? Nec meliore iure versus in  $\delta$  removentur; invenerunt iuvenes Menelaum cenantem v. 3. Quid igitur opus est illa *ταμίη „χαριζομένη παρεόντων“*, quam merito eiectam video ab omnibus  $\sigma$  139? Quod obicit F a e s i., non convenire versus versui 65 (*Μενέλαος*) *ῥῶτα βοός σφι παρόθιγεν*, non melius, equidem obicio, convenit v. 56, quem ipse defendit, nam *εἶδαια* sunt *χοῖα*; neque aliter donat Ulixes Demodoco partem tergi suilli ipsi appositi. — Retinendi igitur sunt, dummodo Aristarchum et Kammerum probemus:  $\alpha$  136—139, 141—42;  $\delta$  51, 57—58,  $\eta$  172, 73, 175, 76;  $\sigma$  135—38; in  $\rho$  versus non removerim, quoniam tota pars, quae est de Theoclymeno, a Kammero eiecta est; in  $\sigma$  137 pro *τάπειζαν* scripserim *τραπέζας* (cf.  $\kappa$  354 *εἴτανε τραπέζας* et Iordani Odysseam p. 538) cum pluribus paretur cena.

4) Formula, quae ubi navis solvi narratur usurpatur a poeta, haec esse solet:

*ἐπὶ νηὸς ἔβη, ἐκέλευσε δ' εἰαίφους  
αὐτοῖς ἀρβάνειν ἀνά τε προμηθήσια λῦσαι,  
οἱ δ' αἰψὲς εἰσβάνον καὶ ἐπὶ κληῖσι καθίζον,  
ἔξῃς δ' ἔξόμενοι πολὺν ἄλα ἰπίον ἔρειμοις.*

Quam bene variasse ac loco aptasse videtur mihi poeta  $\beta$  417 sqq., ubi cum haec inveniantur:

417 ἐνὶ προμήνῃ  
418 *ἔξετο Τηλέμαχος, τοὶ δὲ προμηθήσι ἔλυσαν,*  
419 *ἂν δὲ καὶ αὐτοὶ βάντες ἐπὶ κληῖσι καθίζον.*  
420 *τοῖσιν δ' ἵκμενον οὐρον ἴει γλαυκῶπις Ἀθήνη*

Kammerus l. c. p. 412 sqq. eiecto versu 419 alium atque traditus est, statuit rerum versuumque ordinem. Spurium censet v. 419, quod *τὰ προμηθήσια* soliti sint solvere antiqui, priusquam navem conscenderint; tum, quod, si retineremus versum, desideraretur: *ἔξῃς δ' ἔξόμενοι κίλ.* vel similis versus; postremo quaerit, cur Minerva praebeat ventum secundum, postquam iam ad remos condescerint iuvenes. — At, quod primo loco statuit vir doctus, non recte positum est, nam si accuratius locos, quibus commemorantur *τὰ προμηθήσια*, quibus non, comparaveris, aliter rem sese habere tibi persuadebis. Diutius si morantur antiqui navi advecti in ipsam, terram naves subducunt atque ita, ut prora mari adversa, puppis obversa terrae iaceat; tum retinaculorum usus nullus est cf.  $\delta$  577—580  $\Lambda$  485, 86. Sin breve tempus moraturi sunt, ita appellitur navis, ut idoneo loco *p u p p i s* funibus alligetur, qui sunt *προμηθήσια*. Quae *προμηθήσια* si nonnunquam ex ipsa navi solvi narrare poetam contendit Kammerus, errat. His enim locis

quibus nititur vir doctus, omnino non commemorantur *πρωμνήσια*, sed *πείσματα*, (funes cuiuscunque generis) quibus navis in litore affigitur, ubi aut *πρωμνήσια* alligari non possunt, ut ante Laestrygonum portum *ἐκ πέτρης* (x 95 *ἀντὰρ ἐγὼν οἶος σκέθον ἔξω νῆα μέλαιναν, ἀνιοῦ ἐπ' ἐσχατιῇ, πέτρης ἐκ πείσματα δήσας*, ceterae naves in ipso portu *δέδειο*, scilicet *τοῖς πρωμνήσιος*; x 127 *ἀπὸ πείσματ' ἔκοψα*) aut non opus est iis, ut 9 55, ubi navem *ἔψωδ' ἐν νοτίῳ ὄρμισαν*; legitur igitur v 77 de eadem navi *πεῖσμα ἔλυσαν*. *πρωμνήσια* autem id est puppis retinacula non potuisse solvi navi ab omnibus conscensa apparet, si quid video, ex eo quod ubicunque formula usurpatur haec est: *ἐκ δ' ἐνὰς ἔβαλον, κατὰ δὲ πρωμνήσι' ἔδησαν* et de solvendo: *ἐκέλευσεν ἀνιοῦς ἀμβαίνειν, ἀνά τε πρωμνήσια λῦσαι*. Praepositiones *κατὰ* et *ἀνά* usurpatae significare mihi videntur, retinacula de navis lateribus demitti in litus et ex litore in navem tolli. Quo modo autem, qui in navi est, et retinacula demittere et demissa in litore in navem tolli. Quo modo autem, qui in navi est, et retinacula demittere et demissa in litore alligare possit et funes in litore solvere solutosque tollere, non liquet. De fume (*πεῖσμα*) qui ex ipsa navi solvitur, cum navem in lapide percusso retinuerit, non usurpatur *ἀνά* sed simplex verbum cum praepositione *ἀπὸ* v 76 *πεῖσμα ἔλυσαν ἀπὸ ιαγιοῖο λίθοιο*. Simul igitur fiebat *τὸ πρωμνήσια ἀναλῦσαι* et *τὸ ἀναβαίνειν*: uni solvebant retinacula, alteri tollebant. Sin saepius *τὸ καταδῆσαι* commemorari videtur ante *τὸ ἐκβαίνειν*, tamen simul fiebat; nam etiam *ἐκ δ' ἐκατόμβην βῆσαν* A 438 ponitur post *τὸ ἐκβαίνειν*, quamquam simul factum esse apparet. Nostro autem loco ne commemorat quidem poeta *τὸ ἀναλῦσαι*, sed modo *τὸ λῦσαι*, quod commode ante *τὸ ἀναβαίνειν* ponitur: solverunt igitur retinacula in litore, navem conscenderunt, (retinacula soluta sustulerunt), consederunt in transtris. — Neque quam altero loco posuit causam vir doctus probamus: dem Gedanken, inquit Kammerus, eine Gottheit schicke dem Fahren den günstigen Wind, geht nie das *ἐπὶ κλιῖσι καθίζον* voraus, und wieder andererseits auf das *ἐπὶ κλιῖσι καθίζον* folgt auch stets die Handlung des Ruderns. At omnium locorum, quibus deum ventum secundum praebere narrat poeta, his modo β 418 sqq., ο 220 sqq. et 282 sqq., μ 144 sq., λ 1 sqq. res tam accurate describitur, ut quid voluerit poeta intellegas. In ο Theoclymeni persona inserta rerum conexus interruptus est, qui antea hic fuisse videtur:

ο 217 *Τηλέμαχος δ' ἐτάροισιν ἐπιτρέψων ἐκέλευσεν*  
 218–220 *ἔγχοσμεῖτε τὰ ὄπλα κτλ.*  
 221\*) *αἴψα δ' ἄρ' εἰσβαίνον καὶ ἐπὶ κλιῖσι καθίζον.*  
 284 *ἄν δὲ καὶ αὐτὸς νηὸς ἐβήσειο ποτιολόγοιο.*

Tum quoniam Telemachus vela pandere socios prius non iubere debet, quam ventus ortus sit, ordine versuum mutato ita sese sententias excipere necesse est: ο 292–94, 287–91, fortasse addendi β 427–33. Quem si sententiarum conexum versuumque ordinem probas, antequam Minerva ventum praebet *τὸ ἐπὶ κλιῖσι καθίζειν* commemoratur: sin minus, quem tu statuis ordinem, certiore non esse concedes. Versus autem, qui nostram pertinet ad rem ο 221, non pro nostro

\*) Kammerum ante versum ο 221, 9 52 et 53 non bene inseruisse infra demonstrabitur.

arbitrio insertus, sed traditus est. Stat igitur libri *o* locus aut a nostra parte aut a neutra, minime a Kammeri. — Sequitur, ut de *μ* 144 sqq. quid statuendum sit videamus. Idem rerum ordo invenitur, qui *β* 418 sqq., dummodo v. 147, qui iam dudum a viris doctis spurius habetur, eiciendum esse concedas. Nam Circe in alto demum mari navigantibus ventum praebuisse num veri simile est? Adhaesit hic quoque versus antecedenti bene iterato. Paene ridiculum videtur, quod attulit Kammerus Grashofii (das Schiff bei Homer und Hesiod): „wohl ist es denkbar, dasz Circe hier sich nicht sogleich entschlieszen konnte dem Odysseus, den sie ungern scheiden sah, Fahrwind zu geben“. — In *λ* libri initio rerum ordo, cum *ρένια* interpolaretur, ita mutatus est, ut quid ipse Homerus cecinerit, statui non possit. Aliunde igitur causas atheteseos v. *β* 419 vix petere licet. Itaque retinemus versum et servamus totius loci ordinem. Talis est sententiarum conexus: Inferunt in navem iuvenes arma, cibos (415), tum conscendunt navem Telemachus et Minerva et in puppi considunt (416, 17), solvunt comites retinacula, ipsi conscendunt navem (418, 19), priusquam remis utantur (suo, ut mihi quidem videtur, tempore) Minerva ventum praebet (420, 21); iussu Telemachi vela panduntur (422—26), quibus ventus inflat (427—29); tum diis gratias agunt libando, quod secundo vento navis propellitur (430—33). Nitzschius, qui *β* 427—28 ex *Α* 481—83 translatos censet, redarguendus, nam sententiarum conexus minime divellunt. — Fortasse alio loco re vera rhapsodi in eadem formula usurpanda neglegenter canentes lapsi sunt. *ι* 136 narrat Ulixes, in insula fuisse portum tam opportunum, ut neque retinaculis neque lapidibus (*εὐνάι*) opus esset. Tamen *ι* 178 dicit: *ἀνά νηὸς ἔβην, ἐκέλευσα δ' εἰάρονες αἰτοὺς ἀμβάινειν ἀνά τε πρυμνήσια λῶσαι*. Nescio an rhapsodorum neglegentia formula totiens usurpata irrepserit versumque eiecerit loco aptiorem:

*αἰτοὺς ἀμβάινειν καὶ ἐπιπλεῖν ἄλμυρόν ἕδος* cf. *ι* 470.

Idem accidisse videtur *ι* 562; quomodo enim in portibus peropportunitis (*εὐσημοσ*) navis appellata sit, ostendit v. 144 sqq: *ἢ μὲν ἔπειτα ἡλείρω ἐπέκελεσσεν, ὅσον ἔπι ἡμῖν πάσις*. Idem nostro loco factum esse apparet ex *ι* 138: *ἐπέκελεσσα νηὶας μείνα χρόνον*. *ι* 148 *πρὶν νῆας ἐπέκελεσαι*, *ι* 149: *κελεσάσησι δὲ νησὶ καθεύομεν ἰσία πάντα*. Tum *πρυμνήσια* non alligabantur. Ceterum confer dissertationis nostrae p. 15.

5) *δ* 782: *ἠγνῶναντιο δ' ἐρετιμὰ*

783: *πάντα κατὰ μοῖραν ἀνά θ' ἰσία λευκὰ πέιασσαν* = *θ* 54.

*δ* 783 expunctum video apud Dindorfium, Bekkerum, La Rochium; adnotavit Bekkerus: abest a nonnullis et adiecit scholion: *περιτιὸς δοκεῖ*. At si in *δ* eiciendus est versus, cur eodem loco in *θ* retinendus, ubi editorum nemo offendisse videtur? Equidem non ferendum censeo utroque loco; nam vela non panduntur, nisi cum ventus ortus est, et remis non vento navem propelli quae ad patriam ferat Ulixem, ostendit v. 78. Videtur autem versus compositus a rhapsodo qui versuum *ι* 245, 309, 342 memor primo fortasse neglegentia lapsus novum cecinit illorum versuum initium *πάντα κατὰ μοῖραν* transferens, cui addidit finem versus *Α* 480: *ἀνά θ' ἰσία*

λευκὰ πείσσαν. Ceterum conferas velim, quod attulimus pag. 8 de  $\mathcal{D}$  58, quem simili modo ortum esse nobis persuasimus.

6)  $\mathcal{D}$  433 sqq. famulae, ut lavetur Ulixes, aquam coquunt; interdum Arete in cista ponit vestes aliaque Alcinoi et Phaeacum dona et ne privetur, hospitem, ut nodo servet, admonet. Ulixes cistam nodo, quem docuit Circe, artificioso concludit. Tum sequitur

$\mathcal{D}$  449 ἀπόδιον δ' ἄρα μιν ταμίη λούσασθαι ἀνώγει.

Versus 442—48 suo iure expunxit Kammerus; quem si probamus, ἀπόδιον (sofort) sequitur versum 441: ἐνθ' αὐτῇ γὰρος θῆκεν καλὸν τε χιτῶνα, quo existit, ut mihi quidem videtur, sententiarum conexus minime probandus: famulae calidam aquam parant, interdum regina dona affert, statim autem ταμίη Ulixem iubet aqua uti. Interpolatione eiectus mihi videtur versus, quo quid sibi velit illud ἀπόδιον appareat. Insertum igitur volo, qui legitur loco simillimo  $\Sigma$  349 et  $\alpha$  360 et sic locum scripserim:

$\Sigma$  349 αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ ζέσσειεν ὕδωρ ἐνὶ ἦροισι χαλκῷ,  
 $\mathcal{D}$  449 ἀπόδιον δ' ἄρα μιν ταμίη λούσασθαι ἀνώγει.

7) Formulam

ὄς ἰότε μὲν πρόπαν ἡμαρ ἐς ἡέλιον καιαδόντια  
ἡμεῖθα δανύμενοι κίλ.

falso legi  $\alpha$  183—87 docuit Kammerus l. c. p. 469 sq. — Plane absurde versus positi sunt  $\alpha$  476—79, quos editores ad unum omnes e textu removere, qui quomodo si quaerimus irrepserint, Nitzschium probamus, qui duplicem statuit recensioem,  $\alpha$  467—71 et 475—79; translatos esse putat versus a rhapsodo totum annum, quem Ulixes in Circes insula mansisse narratur, ad unum diem minuente. Ceterum, qui interpositi sunt inter duas recensioes versus, Homero abiudicaverim, nam finxisset, si retineremus, poeta Ulixem plane oblitum patriae, Ulixem, qui apud Calypso, quae fovet eum diligitque, patriae desiderio perit paene et tota Odyssea id unum agit, ut tandem quamvis multos perpressus labores in patriam veniat. Talis Ulixes nonne sua sponte a dea, ut dimitteret sese, petere debebat? Nec cecinisset quisquam alteram recensioem, si hosce novisset versus. Inerti fortasse sunt, ut duae recensioes coniungerentur atque ut ea, quae dicit Ulixes versibus 485, 86 antea commemorarentur. Talem igitur restituerim sententiarum conexum:

$\alpha$  469 ἀλλ' ὅτε δὴ ᾗ ἐνιαυτὸς ἔην, περὶ δ' ἔτραπον ὄρα  
480 καὶ τότε δὴ Κίρκης ἐπιβὰς περιβάλλεος ἐνήϊς κίλ.

8) Aristarchus quoniam tales formulas unicuique loco aptandas esse sibi persuaserat, valde offensus est, quod versus saepissime usurpatus:

ἀνιὰ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδηγίος ἔξ ἔρον ἔντο

inepte legeretur  $I$  222 et  $\Omega$  628; iam antea legati in Agamemnonis tabernaculo cenaverant in  $I$ , in  $\Omega$  Achilles ἤδη κερύκεσσι. Coniecit igitur, quantum ex Didymi adnotatione liquet (cf. Lehrs. Arist. p. 131) pro ἔξ ἔρον ἔντο: ἄψ ἐπάσαυτο, ἵνα ὅσον χαρίσασθαι αὐτῷ Ἀχιλλεῖ

γεύσασθαι μόνον καὶ μὴ εἰς ζόρον ἐσθίειν καὶ πίνειν λέγονται. Tamen recipere in textum coniecturam dubitavit, cum multis codicibus scripturam confirmatam videret neque iam Homerum litteris usum non esse sibi persuasisset. Nos versum tam inepte positum non putamus, ut Homero abiudicemus plane, quamquam minime negamus, potuisse fieri, ut rhapsodorum socordia non modo versus male transferrentur, sed etiam pro verso mutato et sententiarum conexui apto usitatus poneretur, nec talibus locis coniecturam probare dubitamus, quibus hoc accidisse appareat. Nam permulta rhapsodorum negligentia in peius versa et audientes et ipsos canentes praeteriisse, satis puto ex iis apparet, quae adhuc attulimus. Quamvis igitur minime laudamus eos, qui hodie Nauckium secuti contemptis Alexandrinorum studiis summa coniciendi licentia in carminibus Homericis purgandis versantur, tamen medicina, quam praebet ars critica, caute iis locis, qui rhapsodorum negligentia corrupti videantur, adhibenda non pauca putamus posse sanari, quae divini poetae carminum textum deformant. Itaque suo iure correxit Friedlaenderus Σ 177 Analect. Homeric. p. 483. Forsitan non displiceat haec, quam nos offeremus emendatio. Legitur α 106

εὔρε δ' ἄρα μνηστῆρας ἀγήρορας. οἱ μὲν ἔπειτα  
πεσσοῖσι προλάροισι θυμὸν θυμὸν εἰερον.

Hoc uno loco ἔπειτα vertendum est „damals“ quae vox quamvis vario usurpetur modo, tamen significationes omnes ex eo manant, quod, ubi duo opponuntur res, locum tenet: nostro autem loco de una dicitur: invenisse narratur Minerva procos, qui eo ipso tempore ludo delectabantur. γ 62 ὥς ἄρ' ἔπειτ' ἠρᾶτο, qui locos similis videtur nostro, vertimus so betete sie darauf, nam antea legitur χαῖρεν Ἀθηναίη

ι 14 σοὶ δ' ἐμὰ κήδεα θυμὸς ἐπειράπειο σιονόεντα  
εὔρεσθ', ὅρ' ἔτι μᾶλλον ὀδυρόμενος στεναχίζω.  
τί προδῶν τοι ἔπειτα, τί δ' ὑσιάνον καταλέξω:

aeque res se habet, ac si dixerit poeta: ἐπειδὴ θυμὸς ἐπειράπειο, τί ἔπειτα καταλέξω; ut persaepe usurpatur ἔπειτα in apodosi. Ne longus sim, quoscunque confers locos, omnibus ex illa una significatione usum declarare licet, nostro minime. Videtur igitur versus corruptus a rhapsodo memori versus simillimi

α 144: ἐς δ' ἦλθον μνηστῆρας ἀγήρορας. οἱ μὲν ἔπειτα,  
ἐξείης ἔζοντο.

Equidem scripserim α 106: οἱ μὲν ἐκεῖθι, quod pro ἐκεῖ legitur ρ 10. Tali modo fines versuum nescio an saepius canentium socordia corrupta sint.\*\*) Cf. de ι 178, quae scripsimus p. 13 et quae infra disputabitur de α 65.

\*\*) Unam refutare liceat emendationem a Guil. Iordano γ 125 adhibitam restituit *καρύσσεσθαι* pro *ἐρύσσεσθαι*, quod ex Ψ 176 translatum esse contendit. At *ἐρύειν* de arcum intendenti usurpatur O 464 quoque. Ceterum non Achilles suam hastam *ἐρύσσεσθαι* studet Ψ 176, ut voluit Iordanus, sed Asteropaeus Achillis.

9) Ad versus  $\beta$  7—8, quibus praecones iussu Telemachi Ithacenses ad contionem convocare dicuntur, extat Aristonici adnotatio: οὐδὲν μὲν ἀνυπεράβιουσαν οἱ σίχοι πρὸς τὴν παροῦσαν ἐπόθεσαν, οἰκειότεροι δὲ μᾶλλον εἶσιν ἐν *Ιλιάδι* (B 50—52). Accuratius si perspexeris locum, facile invenies, qua de causa offensus sit Aristarchus aptiores desiderans versus. Nam Agamemnonis, summi Graecorum imperatoris, est exercitum convocare, praesunt praecones, celeriter oboedire est militum; at Telemachus quos iubeat praecones *κηρύσσειν* quaerere licet. τοὶ δ' ἡγήροντο μᾶλ' ὄκα de iis apte dici videtur, qui convocari consueverunt, male de iis, qui ἐξ οὗ Ὀδυσσεὺς δῖος ἔβη κοίλης ἐνὶ νηυσίν id est viginti per annos contionem non viderunt. At si vertimus v. 6: er befahl laut rufenden Herolden, non dem laut r. H., si nova audiendi ac videndi studio Ithacenses commoveri putamus, ut celerrime praeconibus oboedientes conveniant, non esse mihi quidem videtur, cur versus inepte positos censeamus. Ceterum ne Aristarchum quidem versibus obelos appinxisse putamus, id quod factum esse scripsit Carnuthius.

10) Eandem, quam in formulis usurpandis, secutus est rationem Aristarchus, ubi de deorum insignibus agitur, de quibus cum disseruerit Nitzschius *Sagenpoesie* p. 121 sqq. non est, cur accuratius disputemus. Pauca addiderim: *δόρατος ἀνάληψις* a 100 sq. non modo non necessaria est, sed etiam ineptissime positam esse eam apparere videtur ex iis quae sequuntur. Nam cum v. 104 inveniatur *παλάμη δ' ἔχε χάλκεον ἔγχος*, hastam antea commemoratam a poeta non esse liquet: nam si hastam sumpsisse Minervam cecinisset paulo ante, num quattuor post versus eam manu tenuisse deam addidisset? quo modo tandem alio? Vertenda igitur sunt haec verba: in der Hand aber hielt sie eine Lanze cf.  $\beta$  10. — Soleas apte sumere Mercurium docuit Aristarchus  $\epsilon$  45, 46  $\Omega$  341, 42. (cf. Aristonic. ad  $\Omega$  341, 42), inepte Minervam 97 sq. Itaque non bene edidisse mihi videtur Carnuthius scholion ad  $\epsilon$  44, 46: *μετάκεινται οὐ δέοντος ἐντεῦθεν εἰς τὰ περὶ τῆς Ἀθηνᾶς ἐν α λεγόμενα καὶ εἰς τὰ περὶ Ἑρμοῦ, ἥνιστα ἀπ' Ὀλύμπου εἰς τὴν Τροίαν κάτεισιν*. Scribendum videtur ἐν α λεγόμενα. ὁ ρ θ ὦ ς δ ε καὶ περὶ Ἑρμοῦ κίλ.\*\*) De athetesi versuum  $\Theta$  385—87, quae et ipsa huc pertinet, confer eundem Nitzschium l. c.

11) Neque aliter indicavit Aristarchus de iis locis, quibus hominibus οὐ δέοντος res additae esse videbantur. Itaque  $T$  388—91 male translato censuit ex  $II$  140—44; nam hoc loco bene addidisse poetam, hastam Achillis fuisse tantam et tam gravem, ut nemo Graecorum nisi ipse Achilles uti ea posset *ἴνα γνῶμεν, διὰ τί οὐκ ἔλαβε τὴν μελίαν* Patroclus. Tamen equidem altero quoque loco versus retinuerim, cum ubi accuratius, quomodo arma induerit Achilles, exponitur, versus hastam describentes non iniuria locum tenere videantur, quamvis aptiores esse priore loco concedamus.\*\*\*) — Hectoris quoque hasta pluribus verbis duobus locis describitur  $Z$  318—20 et  $\Theta$  493—95; hic Zenodotus eiecit versus, illic retinuit. At qui sententiarum

\*) Guil. Jordanus Aristarchi athetesis ignorans immerito gloriatus est, se ipsum post viginti saecula primum indagasse interpolationem versuum a 96, 97.

\*\*) Fortasse accidit, ut  $II$  141, 42 in  $T$ ;  $T$  390, 91 in  $II$  transferrentur.



conexum accuratius percensebit, is facile intelletur versa vice versus in  $\Theta$  expungendos esse atque Aristarchum sequetur, qui οἰκειότερον χειρῶν versus in  $\Theta$  contendit διὰ τὸ ἐν τῷ στρατεύματι διαλέγεσθαι. In  $Z$ , ubi Hector Paridis domum intrat, qua re commotus sit poeta, ut hastam illam longissimam in manu habuisse illum commemoraverit non apparet, praesertim cum antiquos domum intrantes hastam ad portam relinquere consuevisse ex aliis locis satis eluceat ( $\alpha$  128,  $\rho$  29). cf. Nitzschium adnotat. I ad  $\alpha$  128.  $Z$  libri locum hunc fere in modum restituerim:

318 ἐνθ' Ἐκτωρ εἰσῆλθε δῖος Ἴλιος. ἐνθ' οὖν ἔτετιμεν  
321 δῖον Ἀλέξανδρον περὶ κάλλιμα τεύχε' ἔποιτα.

Ceterum versuum initio simillimo rhapsodorum aliquis commotus versus transtulisse videtur. cf.  $\Theta$  493 τὸν δ' Ἐκτωρ ἀγόρευε δῖος Ἴλιος κτλ. cum  $\Theta$  318, quem modo attulimus.

12) Huic Aristarchi rationi in formularum usu similibusque locis adhibitae non oppugnat, quod idem ubique poetae consuetudinem servandam esse docuit. Itaque cum viros sese armantes scutum ante cassidem sumere consuevisse animadvertisset, redarguit Zenodotum rerum ordinem  $I$  334 sqq. mutantem (Lehrs. Arist. p. 194). Eodem iure  $B$  44, 45 alium atque traditus est restituere mihi videor versuum ordinem. Agamemnon surgit, vestem induit, deinde soleas sumit, postremo se cingit gladio. At Telemachus et Menelaus  $\beta$  3, 4  $\nu$  125  $\delta$  308, 9 surgentes gladio demum cincti soleas subligant pedibus. Quibus cum locis versuum ordo mutari non possit neque unquam mutatus videatur, nescio an rhapsodorum socordia in  $B$  versus transpositi sint. Equidem  $B$  45 ante versum 44 legerim.

III. Est Homeri vel Homericæ aetatis ingenio nativo proprium, ut nuntii iisdem, quibus perceperint verbis, referant percepta. Nam orationis formae indirectæ, quæ dicitur, in carminibus Homericis vestigia vix inveniuntur. Quam sit ab Homeri dicendi ratione aliena, tibi persuadebis, si  $I$  591 sqq.,  $\alpha$  39 sqq. similesque contuleris locos.  $A$  301 quamvis verbum ἀνόγει duo sequantur infinitivi, tamen statim in directam formam oratio versa est. cf. Hermann. l. p. c. 12. Quæ cum ita sint, optimo iuro Aristarchus refutat Zenodotum, qui nuntiorum verbis saepius iteratis offensus talem locum συνιένειν non dubitavit, ut in  $B$  libro pro toto somnio iterato scripsit:

ἀνόγει σε πατήρ ὑψίζυγος αἰθέρι ναίων  
Τρωσὶ μαχίσασθαι προτὶ Ἴλιον. ὃς ὁ μὲν εἰπὼν  
ᾄχει ἀποπτάμενος.

Contra docuit Aristarchus: τὰ ἐπαγγελικὰ δις καὶ τρις ἀναπολείται ταῖς αὐταῖς λέξεσιν, quibus iisdem Aristonici verbis Hermannus quoque redarguendus est, qui l. c. p. 14, quod quinque versus ter positi invenirentur, hic duorum carminum vestigia deprehendere sibi visus est. Quid, quod in  $\Omega$  duo versus quater iterantur (118, 19=146, 47=195, 96=175, 76, versu 175 paululum mutato) et sic iterantur, ut dubium non sit, quin suo loco repetantur?

Tamen non ubique probandi sunt versus iterati, quamvis in nuntiorum orationibus locum teneant, nam nonnunquam rhapsodorum negligentia accidit, ut bis ponerentur versus, quos semel ponendos esse e sententiarum conexu apparet: nec fugere tales versus Aristarchi diligentiam.

1) Ut Menelaum Pandari sagitta vulneratum sanet, Talthybiūm praeconem Machaonem arcessere iubet Agamemnon

*A 195 ὄφρα ἴδῃ Μενέλαον Ἀρήϊον Ἄτρος υἱόν,  
ὄν τις ὀσιτεύσας ἔβαλεν, τόξων ἐν εἰδώς  
Τρώων ἢ Ἀρκίων, τῷ μὲν κλέος, ἄμμι δὲ πένθος.*

At cum adesset praeco, et Menelaum vulneratum esse et quomodo non ignoravit; ita ut v. v. 196, 97 (nam 195 licet defendere) addere absurdum sit et laudandus Aristarchus, qui asterisco cum obelo conimeto versus notavit. Aptē positi sunt in ipsius praeconis oratione 205—207.

2) Nec minus assentior Aristarcho  $\Theta$  420—22 eicientem. Iuppiter Iridi imperat, ut retineat Iunonem et Minervam, quae Graecos adiuturæ currum conscenderunt: deiecturum sese minatur deas de curru, nec fore ut vulnera decem annis sanentur; „ne Minerva iterum minus oboediat. Iunoni quidem sese non ita irasci, quippe quae semper marito resistere consueverit.“ Quae verba apte quidem hoc loco, male in Iridis oratione legi satis apparet; nam infirmaret Iris minas, si adderet.

3) Versus *B 164 σοῖς ἀγανοῖς ἐπέεσσιν ἐρήϊνε φῶτα ἕκαστον* in Iunonis oratione Minervam ad terram mittentis, ut Graecos iam fugituros retineat, inepte locum tenet; οὐ γὰρ ἡ Ἀθηναῖα παρίστανται ἕκαστω, ἀλλ' ὁ Ὀδυσσεύς; bene usurpat eum Minerva Ulixem allocuta. Cur in eadem Iunonis oratione *B 160—62* expunxerit Aristarchus ut male iteratos e Minervae, non est, quantum video; causa atheteseos apud Aristonicum non extat. — Altero quoque loco Iuno Minervam ad terram mittit, ut persuadeat Achilli irato, ne Agamemnoni manus imponat *A 195* sqq.:

*ἄμφω ὁμῶς θνητῷ φιλέονσά τε κηδομένη τε*

Qui versus in ipsius Minervae oratione *A 209* mihi quidem non bene locum tenere videtur, cum non debeat dicere dea: misit me Iuno utrumque (ἄμφω) amans; desideratur, ni fallor, utrumque vestrum ut *H 280*, *K 552* legitur: ἀμφοτέρω γὰρ σφῶτι φιλεῖ νεφεληγερέα Ζεὺς. Eiectum igitur velim *A 209*.

4) Alio loco Aristarchi magis admiramur sagacitatem, quam assentimur. Neptunus Iove invito, qui a Somno sopitus in Idae cacumine dormit, Graecos adiuvit atque animos eorum confirmavit. Experrectus Iuppiter Iridem ad fratrem mittit, quae iubeat eum desinere et proelio desistere; si recuset, caveat, ne poenas gravissimas det;

*O 165 ἐπεὶ εὖ φημι βίη πολὺ φέριερος εἶναι  
καὶ γενεῇ πρότερος. τοῦ δ' οὐκ ὄφεται φίλον ἦτορ,  
ἴσον ἐμοὶ γάσθραι, τόντι στυγέουσι καὶ ἄλλοι.*

Hosce versus obelo et asterisco notavit Aristarchus, cum ex Iridis oratione 181 sqq. male petitos censeret; nam videretur, putat vir doctissimus, Iuppiter, si hos versus ipse usurparet, δεδοικῶς καὶ συλλυθῆναι βουλόμενος. Debere Iovem fratri imperare, ut pareat sibi, quia p e n e s se maior potestas, non quia natu maior sit. Bene Aristarcho Agamemnon

videtur, cum ad Achillem legati oraturi mittantur, finire versibus orationem

*I 160 καί μοι ὑποσείτω, ὅσσον βασιλεύερός εἰμι  
ἢ δ' ὅσσον γενεῇ προγενέστερος εὐχομαι εἶναι.*

Admiror hac quoque in re summi critici sententiam magno acumine confirmatam, sed castra eius sequi nolim. Videtur enim mihi his quoque, quos eiecit versus Aristarchus, Homerus deorum familiam finxisse secutus res humanas; itaque fratres divinos poeta fecit certantes, quemadmodum certant homines: vult maior natu sibi pareat minor, cum quod sit viribus superior, tum quod sibi sit, ut iuris consultorum utar voce, aetatis privilegium.

Huc pertinere mihi videtur, quod non raro a rhapsodis orationibus versus invenimus perperam insertos, quos idem, qui facit verba, vel alius alio loco aptius usurpat. Saepius vestigia rhapsodi negligenter canentis clarissime patent.

1) Dolon respondet Ulixi interroganti, cur nocte solus castra petat Graecorum, se ab Hectore missum esse hostium conditionem exploraturum:

*K 396 ἦ ἤδη χεῖρεσσιν ὕψ' ἡμετέρῃσι δαμένεσσι  
φύξιν βουλευοῖτε μετὰ σφίσιν οὐδ' ἐθέλοῖτε | φυλασσεῖσθαι.*

Aristarchus v. 397, quod μετὰ σφίσιν (pronomen tertiae personae) pro vobiscum usurpatur hoc loco, primo scribendum censuit: βουλευοῖσι et ἐθέλοῖσι, tum, ut tradidit Ammonius, totum locum v. v. 397—99 eiecit. Nec nos Aristarchum probare dubitamus, quoniam qui nuper cum aliis tum nostro loco nisus pronomen σφεῖς omnium personarum reflexivum in carminibus Homericis initio fuisse contendit, Brugmann. (Ein Problem der Homerischen Textkritik und die vergleichende Sprachforschung. Leipzig 1876) nobis minime persuasit. Cf. quibus redarguere Brugmannum Lehrsius (Wissenschaftliche Monatsblätter 1877) et Kammerus (in Fleckeisenii annalibus 1877).

2) Nec melius positi sunt, qui paulo post inveniuntur *K 409—411*. Ulixes quaerit e Dolone, ubi Hector sit eiusque arma et equi, qualia aliorum vigilia, postremo, quod consilium inierint Troiani, et iisdem utitur verbis, quibus antea Nestor 208 sqq. Qua de causa versus expunxerit Aristarchus, Aristonici adnotatio non docet. Equidem removendos puto, quod pronomen ἄσσα bene locum tenet v. 208 in quaestionis forma, quae dicitur indirecta, in directa v. 409 pessime.

3) Tertio eiusdem libri loco deprehendimus rhapsodum socordia lapsam. Ulixes Dolone conspecto Diomedi: vir, inquit, appropinquat aut exploraturus Graecorum castra

*ἦ πῶς ἀνὰ σπλήσων νεκρῶν καταιεθῆνός τινος.*

Hunc, quem attulimus versum, Aristarchus respuit suo iure paulo post Aristophanem secutus, cum usuparet Ulixes Dolonem ipsum interrogans v. 387. ἐκ τῶν ἐπάνω μετέκλειται, ἤδη παρελήλυθόντων αὐτῶν τοὺς νεκρούς. καὶ ὁ Ὀδυσσεὺς ἀσύνετος ἔσται πρόφασιν αὐτῷ πορίζων. Minime igitur convenit posteriori loco.

4) Haud immerito Aristarchus versui  $\Lambda$  705 asteriscum et obelum appinxit, quem ex  $\iota$  42 male translatum censuit. Pylios rapinas Epeorum ultos pecoribus hostium abactis non in aequas portiones praedam dispertiri, id quod fieri solebat ἐν τῇ πολέμῳ λαγνραγωγίᾳ (ut in  $\iota$ ), consentaneum est; quantum cuique pecoris abactum erat, tantum reddere debebant.

5)  $P$  30 sq. Menelaus Pandorum iisdem verbis se recipere iubet, quibus Achilles  $F$  196 sq. Aeneam. Hoc loco Aristarchus versus obelo notavit optimo iure; nam non est, cur Achilles eum, qui primus obviam veniat, iubeat se recipere. Qui ut expleat iram atque ultionis cupiditatem, summo impetu hostes aggrediatur, eum hostem servare sese iubere num veri simile est?

6) Hector Glaucō, qui vituperavit eum, quod Sarpedonem interfectum hostium manibus eripere non auderet, his respondet versibus

$P$  171 ὦ πόποι,\*) ἢ τ' ἐγάμην σε περὶ φρένας ἔμμεναι ἄλλον,  
172 νῦν δέ σε ὀνοσάμην πάγχυ φρένας, οἷον ἔειπες.

v. 173 insertum videmus Ulixis orationi  $\Xi$  95, qui in Agamemnonem invehitur, cum navibus in mare detractis fugere iusserit principes. Aristarchus versus eiecit suo iure, nam verbis „νῦν δέ“ antecedere debet „antea“ vel aliquid simile, quod in  $\Xi$  plane desideratur.

7) Sine dubio Aristarchus probandus est, qui  $\Lambda$  320 eiecit ut male translatum ex  $N$  729. Quid sibi vult haec sententia Nestoris verbis inserta, quae magis deformat, quam ornat orationem et sententiarum conexum divellit? Diceret, si retineremus v. 330 Nestor, deos iuventutem et senectutem non simul hominibus dare; admirabili sane sapientia referta haec γνώμη viri, qui prudentia ac consilio inter omnes excellit!

8) Quod Aristarchus  $\alpha$  356—359 interpolatos esse contendit e simillimis locis  $\varphi$  350—353 et  $Z$  490—93 probamus cum Nitzschio, quem his de versibus conferas velim Sagenp. p. 156.

9) De versuum  $\vartheta$  564—71, quos ex  $\nu$  172 sqq. male translatos esse suo iure censuit Aristarchus cf. eundem Nitzschium Sagenp. p. 155.

10) Multa disputata sunt de versibus  $\pi$  281—289, quorum 286—294 inveniuntur  $\tau$  4—13. Ulixes utroque loco filium arma e conclavi in intimam domum portare iubet, ne habeant proci, quo se defendant. Zenodotus et Aristarchus expunxere  $\pi$  281—298. πόθεν γὰρ ἦδει τὰ ὄπλα ἐν τῷ ἀνδρῶνι ἀνταξίμενα; οἰκείως δὲ χρήσεται τῷ λόγῳ, ὅταν ἀντὶ θεάσῃται. Antiquos secuti sunt recentiores excepto Kirchhoffio, qui in  $\pi$  genuinos, spurios in  $\tau$  habuit versus. Quem quibus Kammerus l. c. p. 580 sqq. refutaverit, referre longum est; suo iure refutavit et de nostro loco quod statuit vir doctus et quod ex hoc loco concludendum censuit.

\*) Quo modo versus legendus sit, non satis constat, cum codicum, quibus utebantur Alexandrini, alii ὦ πόποι, alii ὦ πέπον tradiderint; hoc maluit Zenodotus, illud Aristarchus. ὦ πόποι cum plerumque inveniatur in orationis initio (paucis locis exceptis  $\nu$  209  $N$  99  $\Xi$  49 cf. Kammer. l. c. p. 551. Friedlaender. Philol. IV p. 585. Nitzsch. Sagenp. p. 142 sq.) duplex fortasse recensio est statuenda 170, 174 et 171—73.

Minus certae sunt reliquae Aristarchi atheteses huc pertinentes.

11) Praeco Idaeus desinere iubet certantes inter se Aiacem et Hectorem

*H 282 γούξ ἤδη τελέθειν ἀγαθὸν καὶ νυκτὶ πιθέσθαι.*

Eundem versum quod usurpat Hector, cum ipse Aiacem certamine desistere iubet, improbat Aristarchus: ὁ μὲν γὰρ κῆρονξ αἰτίαν λέγει, δὲ ἦν οὐ πολεμητιόν, ὁ δὲ Ἐκτωρ ἐαντιὸν μετὰ προ-  
γασσεως μὴ σπλνέτω. At ne in Hectoris quidem oratione nox πρόγασσις sed αἰτία est, cur pug-  
nare desinant. Itaque Aristarchum sequi nolim nec probavere editores.

12) σ 84, 85 male translatos esse contendit Aristarchus in σ 115, 16; priore loco recte  
minari Antinoum, devietum sese ad Echetum missurum, posteriore autem ἀπάνθρωπον τὸ ἡμιθνήπι  
ἀπειλεῖν\*). At quod Aristarcho secundum suae ipsius aetatis mores excultos atque urbanos in-  
humanum videbatur, non erat Homeri temporibus. Hunc quoque locum διὰ τὸ ἀπρεπές immerito  
respuisse virum doctissimum apparet.

13) Duobus locis Agamemnon Argivos in patriam redire iubet *B* 110 sqq. et *I* 17 sqq.  
et iisdem fere verbis. Zenodotus posteriore loco versus contraxit, Aristarchus tres modo eiecit:

*I 23: οὔτω πον Αὐ μέλλει ὑπερμενέει γίλον εἶναι,  
ὅς δ' ἡ πολλῶν πολίων κατέλυσε κάθηρα,  
ἡδ' εἶ καὶ λύσει τοῦ γὰρ κράτος ἐσὶ μέγιστον.*

Nam priore loco (ἐν τῇ ἀποπείρῃ) Agamemnonem tentare Graecos, quid de reditu sentiant, altero  
autem cladibus acceptis gravissimis re vera suos in Graeciam reverti iubere. Quam atheteseos  
causam me minus intellegere confiteor nec in *B* versus melius quam in *I* legi mihi possum  
persuadere.

14) Penelope respondet τ 124 Ulixis verbis (ἦ γὰρ τεν κλέος οὐρανὸν ἐρόν ἰκέει) per-  
iuisse corporis pulchritudinem, cum maritus bellum Troianorum suscepturus patriam relinqueret;  
si ille tandem veniret, inquit, gloria mea multo maior fieret. Sed nunc mihi mala fortuna  
ferenda est, nam quot regnant in ipsa Ithaca et vicinis in insulis, tot me in matrimonium ducere  
student et domus opes perdunt. Tum sequuntur:

*134 τῷ οὔτε ξείνον ἐμαύζομαι οὔθ' ἰκετάων  
οὔτε ἡ κηρύκων, οἳ δημιοεργοὶ ἔασιν*

Aristarchus 130—133 eiecit ut petitos ex α 245—248, π 122—125; causa atheteseos in scholiis  
non extat neque equidem possum invenire. Retinuerim igitur versus ab editoribus quoque  
remotos, quibus quae sint κακά illa v. 133 commemorata Penelope exponit, quos tantum abest,  
ut supervacaneos putem, ut desiderari versus censeam eis, quae sequuntur: οἱ δὲ γάμον σπεν-  
δοῦσαν, quae verba demonstrare videntur, procorum antea mentionem factam esse. Eiecerim  
autem 135, 36, qui plane inepti mihi videntur. Non enim, qua re minus hospites honoret, narrat

\*) Ita scripsit Bekkerus scholion ed. alt. p. 423. Quae recepit Carnuthius τελέως τὸ  
ἡμιονήπια (?) τελείν sensu carent.

Penelope, sed cur sollicitudine et aegritudine corporis pulchritudo perierit. Et *κίχρρες δημοεργοί* quid sibi volunt? Optimum igitur puto hunc esse sententiarum conexum:

133 οἱ μ' ἀεκαζομένην μωῶνται, τρύχουσι δὲ οἶκον,  
136 ἀλλ' Ὀδυσῆ' ποθέουσα φίλον καιαίχομαι ἤτορ κιλ.

Nonnullis de locis quid putaverit Aristarchus, non satis constare videtur.

15) Obelis notavisse dicitur Aristarchus ε 105—111. „Numeros, adnotat Carnuthius, Maius posuit, Buttmannus probavit“. At omnibus his versibus eiectis vereor, ne sententiarum conexus valde divellatur. Versum 104 num sequi potest v. 112? Immo vero v. v. 105, 6 non sunt *περιτοί* neque ullo modo possunt eici; nam cum *ιὸν τῶν σ' ἠνόγειν ἀποπεμπέμεν* dicat Mercurius, antea commemoratum esse Ulixem satis patet; id quod cum Aristarchum fugisse veri simile non sit, Aristonici adnotatio ad totum locum 105—111 non adhibenda est. Quod attinet ad ipsam athesin, v. v. 110, 11 pessime *ἐκ τῶν μετὰ ταῦτα* (133, 34) huc translatos esse, nemo non intellegit. *οὐ γὰρ καθ' ὃν καιρὸν ἐπὶ τῆς Ἀθηνᾶς ὁ ἄνεμος ἐκινήθη καὶ οἱ ἄλλοι ἀπόλοιο, Ὀδυσσεὺς τῆ ῥήσφ προσιρέχθη*. Versibus autem qui antecedunt 107, 8 et ipsis obelos appinxisse Aristarchum ex Aristonici adnotatione, quam modo attulimus, concludere minime licet, quod intellegam. Itaque non ad v. v. 105—111, sed ad 110, 111 Aristonici verba pertinere contenderim. Versus 133, 34 ab Aristarcho remotos retinemus cum Lehrsio. cf. huiusce dissertationis p. 8.

16) Dubitavere viri docti, utrum Aristarchus β 214—223 removerit necne, quoniam in codice *M* decem diplae versibus appictae sunt, quas pro obelis et asteriscis positas esse contendere Cobetus et La Rochius. At cum Telemachum, quo profecturus esset, procos minime celavisse appareat ex iis, quae sequuntur (306 sqq.), versus Aristarchum non respuisse putamus cum Carnuthio. cf. Kammerum, qui Henningsium p. 153 sqq. et Kirehloffium p. 282 sqq. redarguit.

17) Compluribus de locis cum disputaverit accuratius Kammerus, commemoravisse versus hic satis habebo. De α 374—380 ex β 139—145 translatis cf. Kammerum p. 284, de α 238—240 in ξ 368—370 insertis eundem p. 559 sq; δ 392 sq. post α 540 ponendos docuit p. 438 sq.

18) Nonnulla versuum stultissime orationibus insertorum exempla attulit Friedländerus *Analect. Homeric.* p. 483. ο 429 irrepsit paulo ante 388, *T* 183 ex π 72, α 552 ex λ 45, ι 54, 55 ex Σ 534, 35 translatis sunt. α 522 et ι 54, 55 clare ostendunt, quanta fuerit rhapsodorum negligentia, qui inseruerint versus verborum constructioni plane oppugnantes; nam α 522 pro *κατέχειτο* tempus praesens et ι 54, 55 pro persona tertia *ἐμάχοντο* prima desideratur.

19) α 65 sq. respondet Juppiter Minervae interroganti, cur Ulixi ita sit iratus, ut minime eum laborum eius misereat:

πέκνον ἐμὸν, ποῖόν σε ἔπος γόγειν ἔρκος ὀδόντων;  
πὼς ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην; κιλ.

Iam antiquos in altero versu offendisse praecipue, quod Iuppiter hominem „θεῖος“ nominat, apparet ex Aristonici adnotatione ad *O* 15 conscripta: ἡ διπλή, ὅτι ἀφ' ἑαυτοῦ ὁ Ζεὺς δῖον ἰὸν ἔκτορα καὶ ἐξῆς τὴν θάλασσαν ἢ εἰς ἄλλα δῖαν (161) πρὸς τὸ μὴ ὑποπιεῖν τὰ ἐν Ὀδυσσεΐα (α 65) πῶς ἄν ἔπειτ' αἰλ. At θεῖος non idem videtur esse, quod δῖος, cuius significationem multo latius patentem initio non divinus sed splendidus fuisse docent viri docti; θεῖος autem nullo alio loco a deis de homine usurpari recte videtur contendisse Guil. Iordanus. Equidem alteram atheteseos causam addiderim et ipsam e voce ἔπειτα (cf. quae supra disputavimus p. 15) petitam, quae ubi in quaestionibus locum tenet, ut *I* 437 et de quo supra egimus loco *ι* 16 eodem modo posita est, quo in apodosi, nusquam ut α 65. Translatum igitur puto cum Iordano versum ex *K* 246, ubi simillimus sequitur versus:

*K* 242 εἰ μὲν δὴ ἔταρόν γε κελύετέ μ' αἰῶν ἑλέσθαι,  
 πῶς ἄν ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θεῖοιο λαθοίμην,  
 οὗ περὶ μὲν πρόφρων κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ αἰλ.

Nostro loco fuisse videtur versus similis versui a Iordano restituto οὐ γὰρ ἐγὼ κηρόλομαι Λαερτιάδη Ὀδυσῆι.

IV. Loci, de quibus modo egimus, ostendunt, quam facile rhapsodi similibus locorum memores lapsi sint. Restat, ut afferam complures locos non in orationibus positos, quibus eadem de causa versus perperam iterati sunt.

1) *A* 103, 104 translatos esse contendit Aristarchus in δ 661 sq. et optimo iure contendit. Nam μέγας μέγα φρένες ἀμφιμέλαιναί πίμπλαντ', ὅσσε δέ οἱ πρὸ λαμπροῦνι ἔκτιν de eo aptissime dicitur, qui ita iratus est, ut sui non compos contumelias aspergeret viris honestissimis, male de eo, qui quamvis iratus suadet, quod et a proeis iam diu paratur et ab omnibus probatur. Vides igitur hoc quoque loco Aristarchum verba minus apta sententiis improbantem.

2) Minus probamus, quod idem vir argutissimus *A* 405 ineptum censuit et ex *E* 906 petatum, quod de Marte ab homine vulnerato et devicto dici non possit κῶδεϊ γαίωρ: retinemus versum auctoribus Nitzschio adnotat. I p. 146 et Hauptio. Aristarchus Diple, inquit vir doctus (Zusätze zu Lachmanns Betrachtungen über die Ilias) rührt aus irriger Bedenklichkeit her; κῶδεϊ γαίωρ ist allgemeiner Ausdruck göttlicher Herrlichkeit.

3) Ad *A* 179, 80 invenimus Aristonici Scholion: ἀεθροῦνται ἀμφοτέρω καὶ ἀστερίσκοι παράκεινται, ὅτι καὶ τὴν Πατρόκλον ἀριστεῖαν τάξιν ἔχουσιν. Hoc loco accidit dignum, quod commemoraretur, ut prior versus in *II* non inveniretur; „aut igitur erravit Aristonicus, adnotavit Friedlaenderus, aut quod veri similis, in libro XVI locum aliter legit ac nos hodie (fortasse v. 379).“ At quid obstat, quominus *A* 179 in *II* ante 699 (= *A* 180) inseramus, quoniam haec ipsa Aristonici adnotatio fuisse ibi versum testatur. Num impedit eodum nostrorum auctoritas? Legendum igitur censeo sic:

*II* 698 Ἐνθα κεν ὑψίπυλον Τροίην ἔλον εἶς Ἀχαιοῶν,  
*A* 179 πολλοὶ γὰρ προηγεῖς τε καὶ ὕπτιοι ἔκλεσον ἔπιων

*II* 699 = *A* 180 *Παιρόκλον ὑπὸ χειρῶν περιπρὸ γὰρ ἔγχεϊ θῆεν,*  
*II* 700, 1 *εἰ μὴ Ἀπόλλων Φοῖβος ἐπὶ πύργον ἔστι κίλ.*

Tantum abest, ut divellat v. *A* 179 insertus sententiarum conexum, ut melius nunc coniungantur verba: nam *ῥῆες Ἀχ. ἔλον Τρ. ὑπὸ χειρῶν Παιρ.* peius dicitur, quam *πολλοὶ ἔκπεσον ἵππων ὑπὸ χειρῶν Παιρ.* Quod ad ipsam Aristarchi athetesin attinet, non satis est causae, quod probemus, quamquam — id quod vituperavit Aristarchus — idem fere versibus *A* 179, 89 dicitur, quod *A* 159, 60. Fortasse autem totus locus 163-180, de quo infra accuratius disseremus, interpolatori tribuendus est.

4) *O* 449, 50 Teucer sagitta vulneravit Clitum, Polydamantis aurigam, qui in ipsa pugna inter dimicantes equos tenuit,

*Ἐκτορι καὶ Τρώεσσι χαριζόμενος, τάχα δ' αὐτῷ*  
*ἦλθε κακὸν, τό οἱ οὐτως ἐρύκακεν ἱεμένων περ.*

Hosce versus Aristarchus asterisco et obelo notavit ut perperam iteratos ex *P* 291 sq., ubi de Hippothoo bene usurpantur verba *Ἐκτορι καὶ Τρώεσσι χαριζόμενος*, quippe qui Patroclum interfectum Graecis eripere studeat. In *O* autem est Clitus non *Ἐκτορι χαριζόμενος*, ἀλλ' *ἐναντῷ καὶ παιρῷ* (malim *Πονλνδάμαντι*). Neque Aristarchum sequi dubitamus, et si quis obieciat, aurigam Polydamantem tutatum bene meritum esse de Hectore et de Troianis, nostro iure respondeamus, Polydamantem non tanti aestimatum esse a suis, quamvis consilio excellentem, ut tale poeta de eo caneret.

5) *Ψ* 757 *σὺν δὲ μεταστοιχίᾳ σήμηγε δὲ τέρμαι Ἀχιλλεύς*

suo iure eiecit Aristarchus, nam hoc loco non sortiuntur viri ut *Ψ* 358, sed ab eodem loco cursum incipiunt.

6) *ε* 84 et ipsum ab Alexandrinis non iniuria remotum esse docuit Nitzschius Sagenp. p. 151,

7) *ρ* 347, 48 pessime translati sunt e v. v. 103, 4. Causa atheteseos patet.

8) *δ* 704 *δὴρ δὲ μιν ἀμφασίᾳ ἐπέων λάβε· τὸ δὲ οἱ ὄσσε*  
*705 δακρυόφι πλῆσθεν, θάλαρῳ δὲ οἱ ἔσχειο φωνή.*

Versus de Penelope usurpati nuntiatio procos Telemacho insidias parare iidem leguntur de Antilocho a Menelao de Patrocli morte certiore facto *P* 695—97, quos remotos vult Guil. Iordanus *Odyss.* p. 477. Et probaverim equidem quae attulit vir doctus. Quod autem contendit hoc uno loco ex *Odyssea*, quam multo post *Iliadem* compositam esse sibi persuasit, versus in *Iliadem* perperam translato esse, errat; nam saepius, qui versus *Iliadi* inseruerunt, ex *Odyssea* petiverunt. Sic qui composuit *A* 407—9 ab Aristarcho remotos usus est *α* 7; *Ψ* 92 et ipse ab Alexandrinis eiectus originem duxit ex *ω* 73, 74; *Ψ* 843 perperam translatus est ex *θ* 192 cf. Lehr. *Arist.* p. 435; *A* 705 multo melius locum tenere *ι* 42 supra demonstravimus; *O* 511, 12 ex *μ* 350, 51 iteratos videri, infra ostendemus. Nonnullis aliis locis versus in *Iliade* non inepte positi tamen in *Odyssea* aptius usurpati videntur, ut *καὶ δ' ἐπὶ σχίζης ὁ γέρωρ, ῥέοι δὲ παρ' αὐτὸν πεμπύβολα ἔχον* multo melius dici mihi quidem videtur de Nestore eiusque filiis *γ* 459, 60 quam de Chryse et Ulixē eiusque sociis *A* 462, 63 quos omnes iuvenes fuisse non est quod putemus.



Versus, de quibus adhuc egimus, negligentia rhapsodorum propter rerum narrandarum vel vocum similitudinem lapsorum perperam iterati sunt. Restat, ut ostendamus, quo modo rhapsodi de industria studio carminum pro suo arbitrio ornandorum commoti versus Homericos iteraverint.

1. Clarissime contendit Hermannus carmina Homerica separatim facta esse apparere ex eo, quod eadem similia saepius usurpata videamus; talia nihil esse nisi ornamenta ex antiquiorum poetarum carminibus decerpta. Hermannum redarguit Nitzschius Sagenp. cap. XXIV. Die Wiederholung, inquit, hat, sofern nur an jeder Stelle das Bild das Seine thut, nicht im Bedürfnis und irgend einer dürftigen Abhängigkeit ihren Grund, sondern rührt von der Wahl des Dichters her. Es ist mithin eher die Seltenheit (der Wiederholung von Gleichnissen) bemerkenswert. At hoc ipsum, quod raro inveniuntur similia iterum usurpata, e consuetudine poetae non esse similiarum repetitionem ostendere mihi videtur. Sed aliquanto accuratius, quaesumus, similia illa repetita contemplemur, ut quid de iis statuendum sit appareat.

1) *Z* 506 sqq. Paris ab Hectore ad pugnandum excitatus et fratrem armis indutis cursu consecuturus comparatur cum equo, qui pabulo nimio alitus vinculis ruptis ad fluvium currit membrorum velocitate elatus et superbus corporis pulchritudine. Pulcherrima et loco aptissima comparatio! Eadem autem legitur *O* 263 sqq. de Hectore ab Aiace lapide vulnerato, cui Apollo ne proelio desisteret animum confirmavit. Quo loco simile ineptissime positum esse ostendere Aristarchus (qui tamen iniuria v. v. 263, 264 retinuit) et Nitzschius l. c.

2) *II* 482—85 comparatur Sarpedon, qui a Patroelo interfectus cadit, cum arbore, quam in montibus cecidere fabri materiarii et cum tauro, quem leo occisum dentibus divellit; prius simile idem usurpatur de Asio Idomenei hasta percusso *N* 392 sqq. At deprehendere nobis videmur rhapsodum versus non bene transferentem, non poetam suos ipsius versus iterantem, quod de Sarpedone legitur:

482 ἤριτε δ' ὄς ὅτε δρῶς ἤριτεν κίλ.

485 ὄς ὁ πρόσθ' ἵππων καὶ δίφρον χεῖτο τανυσθείς,

quamquam narravit poeta *II* 419 sq. et Sarpedonem et Patroclum de curru desiliisse, tum obviam cucurrisse: ἐπ' ἀλλήλοισιν ὄρονσαν, quae verba, quominus putemus significare „hostem hasta petierunt“ impedit v. 402: οἱ δ' ὅτε δὴ σχεδὸν ἦσαν ἐπ' ἀλλήλοισιν ἴοντες. Apparet igitur, aliquantum a curribus abesse eos, cum hastis sese petant, ita ut nullo modo de Sarpedone dici possit: ἤριτε πρόσθ' ἵππων, id quod quid sibi velit ex ipso loco, unde versus translatus esse contendimus, licet intellegere. Legitur de Asio *N* 384: Ἄσιος ἦλθεν ἀμύντωρ

πρὸς πρόσθ' ἵππων τὸ δὲ πρὸς ἰόντες καὶ ὄμων  
αἰὲν ἔχ' ἠνίοχος θεράπων.

Tum sequitur optime: ὄς ὁ πρόσθ' ἵππων καὶ δίφρον χεῖτο. Inseruit igitur hoc simile rhapsodus et ipse conditionis immemor, in qua est de quo agitur. Cf. quae supra disputavimus p. 5 sq. Alteram atheteseos causam ex eo petere licet, quod duo similia inveniuntur

hoc loco coniuncta. Aristarchum quidem minime talem similitum coniunctionem vituperasse, dummodo ne idem cum diversis, sed diversa cum diversis compararentur, satis dilucide e scholiis apparet. *ἡ πρώτη εἰκὼν*, adnotatum est ad nostrum locum, *πρὸς τὸ πιῶμα καὶ τὴν ἐπὶ πολὺ ἔχιασιν, ἡ δὲ δευτέρα πρὸς τὴν σιτοαχίην* — Neque invenit Aristarchus atheteseos causam, cum de Aiaee Telamonio a Troianis fugato duo similia coniungerentur *A* 543 sqq. Comparatur enim cum leone, qui a stabulo repellitur frustra conatus bovem rapere et cum asino, qui puerorum verberibus non commovetur, ut e segete exeat, priusquam plane sit satiatas. Priorem comparationem eiecit Zenodotus ἴσως οὐ γὰρ τὴν μὲν λέοντι παραβέβληκεν, ἐξίης δὲ ὄνφ. ἔστι δὲ πρὸς διάφορα συμπαιόμενα ὁ μὲν γὰρ λέων πρὸς τὴν πρᾶξιν, ὁ δ' ὄνος πρὸς τὴν ὑπομονήν. Aristarchum secutus est Nitzschius Sagenp. cap. XXIV et XXV. Quos tamen probare dubitamus, quoniam satis clare a viris doctis demonstratum est, tales locos interpolatores pro suo arbitrio amavisse ornare cf. Friedlaenderum: Ueber die doppelten Recensionen, M. Hauptium l. c. Hermannum l. c. Abiudicanda igitur est nostro quoque loco altera comparatio Homero et tribuenda interpolatori; utra, ex eo apparere videtur, quod prior apte usurpatur *P* 659 sqq., ubi Menelaus Patroclum interfectum deserit, ut Antilochum ad Achillem mittat amico amici mortem nuntiatum. Videtur autem interpolator vocibus *Θηρὶ εἰσιζὼς* (*A* 548) commotus esse, ut exornaret locum comparatione aliunde petita. Bekkerus non bene retinuit priorem, alteram e textu removit comparationem; priorem removendam esse concedit Hauptius quoque l. c. p. 182.

3) Una in Odyssea comparatio iterata est ζ 230—35 = ψ 157—162. Ut aurarius argento aurum circumfundit, ita Minerva utroque loco Ulixi *χάρον περιέχευε*. In ψ cum editores ad unum omnes versus eiecerint, non est, cur accuratius de versibus, quos spurios esse inter omnes constat, disputemus. Ceterum totum locum (ψ 116—170) removendum esse nobis persuasimus.

De totis comparationibus iterum positis quoniam egimus, nunc quomodo res se habeat consideremus, ubi paucos comparisonum versus iteratos videmus.

1) *Θ* 555 sqq. Troianorum castra ita fulgere ignibus dicuntur, ut caelum serenum sideribus; quae serenitas his versibus explicatur:

*ἔκ τ' ἔθανεν πᾶσαι σκοπιᾶὶ καὶ πρόωνες ἄκροι  
καὶ κάπαι οὐρανόθεν δ' ἄρ' ὑπερβάλλη ἄσπετος αἰθήρη,*

quos male ex *II* 299 sq. translatos esse censuere Alexandrini; illic Troianos, qui iam coeperunt naves igni delere, Patroclus subito existens ex ipsis navibus eiectos ad urbem repellit: „ut Iuppiter a montis cacumine nubem, quae occulit omnia, retundit ita, ut montis culmina et saltus et valles clare videantur, sic hostium turbas Graeci a navibus removerunt“. Eo puto maxime comparationes differunt inter se, quod uno loco dicit poeta, esse aliquid, altero aliquid fieri vel, ut adnotavit Aristonicus, *II* 299 sqq. *αἰθρῖδιον βούλει ἐπίλαμψεν παρασιῆσαι αἰθρῖδιος Παιρόκλων ἐλυγανέντος, ἐνιαῦθα δὲ παρακαταμέντην νηγεμίαν καὶ εὐδίαν*. Sine dubio igitur removendi sunt versus altero loco.

2) Supra commemoravimus, Aristarchum *A* 179, 80 spurios censuisse, cum idem versibus significaretur, quod 159, 60. Qui totum locum 163—180 genuinum putat, is versus 179, 80 quoque debet retinere. At nos Homerum non adeo loquacem arbitramur, ut eadem de re tot verba fecisse putemus. (153, 54 *Ἀγαμέμνων ἔπει' ἀεὶ ἀποκτείνων*, 165 *Ἀργείδης ἔπειτο*, 177 *Ἀργείδης ἔφειπε*). Certe deprehendimus talibus locis rhapsodum pro suo arbitrio reū versibus ornantem. Accedit, quod versus 163, 64 cum 180 sqq. vix possunt coniungi; nam si re vera servavit iam Iuppiter Hectorem ex pugna (*ἔκ τ' ἀνδροκτασίης, ἔκ θ' αἵματος, ἔκ τε κνδοιμοῦ*) id quod narratur v. v. 163, 64, cur mittit Iridem paulo post Hectorem hortaturam, ut se recipiat (*ἀναχωρεῖτω* v. 189)? Et desinunt fugere Troiani ab Hectore demum admoniti ac confirmati v. 214, non antea, quod voluit v. 171 interpolator. Qui ornavit versus spurios comparatione 172—177, petiit duos 175, 76 ex *P* 64, 65; est igitur versuum 175, 76 iteratio non poetae, sed interpolatoris. Ceterum tota haec comparatio bono poeta minime digna videtur. Si Agamemnon ultimum quemque interficit, leo unam, quae ultima fuisse non dicitur, sed fortasse optima erat (cf. *P* 64 *βῶν ἀριάση, ἦμις ἀρίστη*), quid habent similitudinis sententiae? Quam pulchre hoc „*ἀποκτείνων τὸν ὀπίσθαιον*“ comparetur a bono poeta vide *Θ* 338 sqq.

3) Memorabili illo loco *B* 455 sqq., quo tot, quot nullo alio coniuncta sunt similia, quattuor poetarum versus habemus, quorum quisque, ut ait Hermannus l. c. p. 18 pro suo sensu exercitum ad pugnam exeuntem descripsit (Bekkerus secundum genuinum censet). Itaque non mirum, si is qui composuit comparationem, qua Graecorum multitudo tanta fuisse dicitur, quanta muscarum vere circa lactis sina volantium v. 469 petiit ex *II* 641.

4) Reliquum est, ut quid de parvo illo simili, quo lacrimae cum aqua fontis comparantur, et ipso bis usurpato (*I* 14, 15 et *II* 3, 4) statuendum sit videamus. Priore loco, cum legeretur: *ἴσταιο δακρυχέων, ὅσπε κρήνη χέει ἔδωρ ὡς ὁ βαρυστενάχων ἔπει προσήδα*, correxerunt antiquorum nonnulli in antapodosi: „*ὡς ὅγε δακρυχέων*“ διὰ τὸ ἀκαταλλήλως πρὸς τὸ δάκρυα τὸ στενάχων ἀποδεδοῦσθαι, quos refutavit Aristarchus: *ἔσιν ἐν τῷ στενάχει καὶ δακρύνει ἀπὸ προηγομένου ροοῦμενον*. Tamen persuadere mihi non possum, poetam, si comparasset Agamemnonem lacrimas effluentem cum fonte aquam promittente, cecinisse in antapodosi ὡς ὁ βαρυστενάχων, praesertim collatis v. v. *Σ* 318 sqq: *πικρὰ στενάχων ὅσπε λίς, ᾧ ἔπὸ σάμνονος ἀριάση ἄνηρ καί. . . ὡς ὁ βαρυστενάχων μετεφώνει Μνημιδόνεσσιν*. Equidem comparatione eiecta hunc fere in modum locum scripserim:

*I* 13 *ἄν δ' Ἀγαμέμνων*

14+16 *ἴσταιο, δακρυχέων δ' ἔπει Ἀργείοισι μετήδα.*

De similibus igitur apud Homerum iteratis quid intelleximus? Aut removenda sunt altero loco gravibus de causis ex ipso sententiarum conexu sumptis, aut totus, quo inveniuntur, locus vestigia interpolatoris demonstrat. Itaque et Hermannum et Nitzschium refutavisse nobis videtur.

II. Referta esse carmina HomERICA interpolationibus variis de causis de industria insertis\*), quis est, qui neget? Nostram ad rem pertinent, in quibus interpolatores versibus ex ipsis Homeri carminibus petitis usi sunt, id quod persaepe accidit. Quae talium interpolationum genera reperimus, haec sunt.

1) Nonnunquam deprehendimus rhapsodorum studium auditorum animos versibus antea insertis praeparantium, ut ita dicam, atque erigentium. Eiecit tales versus Aristarchus, *ὅτι οὐκ ἀναγκαίως παλιλλογείται πρὸς τῶν ἐξῆς ἐκείσασθιζομένων*, ut *O* 56—77, quibus quae accidunt usque ad Iiadis finem brevi conspectu narrantur. Qua in re quomodo versuum iteratione usi sint rhapsodi demonstrat Kammerus exemplo luculentissimo l. c. p. 577. Ut iam antea *ἢ τῶσον θέσας* commemoraretur et auditores quo cupidiores fierent audiendi quae sequuntur, inseruit aliquis *τ* 570 sqq., quos sumpsit ex *g* 75—79. — Huc pertinet, quod Minerva iam *τ* 398—401 accuratius, quomodo Ulixem deformatura sit enarrat, id quod postea demum 430 sqq. suo loco fieri docuit Aristarchus, quod non iniuria contendisse virum argutissimum ex eo apparere mihi videtur, quod Minerva Ulixem allocuta dicere non debet: *κνυζόσω δέ τοι ὄσσε πάρος περιζαλλέ εόντιε*; debebat dicere *ὄσσε τὸν περ. εόντιε*. (cf. ζ 325 *τὸν δὴ πέρ μιν ἄκουσον, ἐπεὶ πάρος οὔ τοι ἄκουσας*). — Eadem de causa videtur interpolator composuisse *ε* 32—42 et *τ* 49 sqq., quibus supplicii de ancillis parum fidis sumpti et ipsius Homero abiudicandi antea ratio haberetur.

2) Simile est studium eorum, qui composuerunt versus, „quibus brevis summa continetur eorum, quae ipsa carmina exhibuerant“ (*ἀνακεγαλαίωσις*). cf. Lehrs. Arist. p. 343 VI. Ut illi quae postea fiunt indicant, ita hi quae antea facta sunt iterum audientibus occasione oblata fusius exponunt. Eiecit igitur Aristarchus *A* 366—392\*\*), *Σ* 445—56, *Φ* 310 sqq. Telemachi verba matri quid audiverit de patre referentis *ρ* 134—149 composuit interpolator e versibus *δ* 233—50, 557—60, 585 sq. (cf. Kammer. l. c. p. 569. Bekker. Homer. Blätter II. p. 40). Nitzschius tales interpolationes, quibus, quae antea gesta sunt, iterum enarrantur plerumque per eos ortas esse sibi persuasit, qui scripta exemplaria carminum Homericorum ederent. Die Redactoren des Textes für Leser, inquit vir doctus p. 133, waren unstreitig beflissen, geschlosseneren Fortgang und Zusammenhang zu geben und also Uebergangs- und Mittelglieder oder rückweisende Andeutungen nicht mangeln zu lassen. Id quod nonnunquam accidisse quamvis minime negem, tamen multo saepius a rhapsodis apud audientes canentibus eius generis interpolationes factas esse contenderim. Nam saepius audientes antea gestorum admonendos esse, quam legentes,

\*) Cf. Nitzschium Sagenp. cap. XXVI. Quem laudat vir doctus Hoffmanni liber (Quaestiones Homericæ) in manus nostras non pervenit.

\*\*) Ceterum non modo *A* 12—14 asteriscos appictos fuisse putamus, ut legitur apud Friedlaenderum, sed etiam *A* 22—24 qui ipsi quoque in posteriorem locum translati sunt.

quippe quibus perfecta etiam atque etiam percensere liceat, satis apparere videtur. Repetenda igitur est ut ceterarum rerum, quibus viri docti Homeri carmina examinautes offensi sunt, ita talium interpolationum causa ex eo, quod carmina per saecula sola rhapsodorum memoria tradita sunt.

3) Animadvertit Aristarchus, saepius τὸς διασχενασιὰς inseruisse versus, ubi grammaticae praeceptis Homerus videretur non satis fecisse; tales versus respuit ut περὶ τρούς, ad quos dammandos Lehrsius Arist. p. 343 sq. VIII. cum nimium propendisse indicat. Unum satis habeo attulisse exemplum a Lehrsio omissum, quo ὁ διασχενασιῆς versum alibi bene positum transtulisse visus est Aristarcho carmina corrigendi studio commotus. „Cum nullam Homeri consuetudinis ἀπὸ τοῦ γὰρ ἄρχεσθαι (cf. α 337. δ 722. κ 501. P 220) cognitionem haberet.“ (Carnuth.) inseruisse interpolatorem B 56 (κλῆτε, φίλον θεῖός μοι ἐνύλιον ἤλαθ' ὄρετος) ante ζ 496 contendit Aristarchus: γέλοϊον δὲ εἰπεῖν καὶ τὸν ἐν λόγῳ καθυπνοζέειν;\* eadem de causa insertus est, quem Aristarchum non legisse apparet, κ 189. — Nonnunquam rhapsodi cum poeta minus clare cecinisse videretur, ne falso intellegerentur sententiae, versus ab ipsis compositos addiderunt. cf. Nitzschium Sageup. p. 132 sqq. p. 171 sq.

4) Simile est, quod nonnullis locis accidit rhapsodis, ut sententiarum conexum falso intellectum cum versibus ab ipsis compositis vel aliunde petitis ornare\*\*\*) studerent, valde deformarent. Cuius interpolationum generis exemplum praebent v. v. ζ 123 sq. Ulixes virginum clamore audito intellexit, se ad terram ab hominibus cultam pervenisse; recte igitur usurpati versus ζ 119—122, pessime autem additi sunt 123, 24, eiecti optimo iure a Nitzschio adnotat. II p. 105 sq.; transtulit rhapsodus versum 124 ex F 9. cf. hymn. in Aphrod. 97—99.

5) Rhapsodi carminibus Homericis novum aliquid inserentes vel partes a poeta inventas uberius tractantes persaepe poetae ipsius versibus usi sunt. Inculentissimum talis poeseos exemplum praebet extrema Odysseae pars, de qua fusius disseri ut, quem supra commemoravimus, Spohnius. Nec raro inveniuntur in Homeri carminibus huiusce generis interpolationes. Sic qui τ libro inseruit narrationem, quae est de Ulixis cicatrice, sumpsit τ 439—41 ex ε 478—80; ex π 37—40 petiit, qui Ulixem cum matre colloquentem fecit, λ 181—83, quibus eisdem versibus usus est interpolator ν 336—40, quos cum sententiarum ordinem turbent suo iure expunxit Kammerus l. c. p. 553 sqq.; λ 110—14 a μ 134—141 originem ducere videntur, quibus Circe Solis bubus parere iubet Ulixem, id quod in λ Tiresias. Qui de Theoclymeno versus composuit libri σ, quos interpolatos esse agnovit idem Kammerus, poetae versibus his

\*) Nitzschius eiecit Sageup. p. 130 sq. totum locum ζ 462—506 et 508.

\*\*) Rhapsodos negligentia lapsos versibus perperam iteratis carmina Homericæ saepe deformavisse supra ostendimus. — Nonnunquam difficillimum esse cognoscere, utrum negligentia lapsi an de industria versus transtulerint rhapsodi, intellegere puto quemque, qui carminibus Homericis operam dederit.

usus est: *o* 536—38 et *q* 163—66 petiit ex *r* 30—33, *q* 61—64 ex *β* 11—13. Interpolatos esse docuit Kammerus l. c. p. 603 sqq. *q* 492—606, quos qui addidit sua Homericis exornavit versibus *β* 55—59; neque aliter fecit, qui *q* 186—224, quos spurios esse idem ostendit Kammerus l. c. p. 671 sqq., cum *q* 202 ex *v* 237, *q* 208 ex *r* 484, *q* 219 sq. ex *r* 393 sq., *q* 226 ex *π* 220 sumeret. *Θ* 28—40 interpolatoris esse docuit Aristarchus neque non petiit aliunde versus interpolator v. v. 28—30 ex *I* 430—32; 31 ex *α* 45, 81, *ω* 472; 32—37 ex *Θ* 463—68; 38—40 ex *X* 182—84. — Huc pertinere videtur libri *ε* initium, in quo tota Minervae oratio constat e versibus alibi quoque usurpatis. At cum eam sequamur legem, ut versuum iteratorum ii modo interpolatoribus tribuantur, quos inepte positos esse ex aliis pateat causis, quae hoc loco minime apparent, retinemus alterum deorum concilium, praesertim cum viros doctos hosce versus Homero abiudicantes satis redarguisse videantur Lehrsius *Homeriche Blätter* in Kammeri libro p. 765 sqq. atque eum secutus ipse Kammerus l. c. p. 230 sqq. Tamen male insertos vel commutatos esse versuum nonnullos minime negamus, nam verba *ῥεῖοιο Ὀδυσῆος* non melius usurpat Minerva, quam Iuppiter *α* 65, et *ε* 13 vituperavit Aristarchus ut male translatum ex *B* 721. — Interpolationibus autem carere minime videtur libri *o* locus, quo ad Telemachum res redit. Quem apud Menelaum plus viginti dies poetam fecisse manentem, qui *δ* 594 diceret: *Ἀργείδῃ, μὴ δὴ με πολὺν χρόνον ἐνθάδ' ἔσχε,* id quod volunt virorum doctorum plerique nunquam mihi persuasi. Quam non apta sit haec diuturna Telemachi apud Menelaum commoratio et rerum conexui et verborum, satis clare ostendit Rhode in dissertatione de Od. XIII—XVI conscripta (progr. gymn. Brandenburg. 1858) et demonstrant versus *o* 68, 72, 73. Hoc unum addiderim: Antiqui diutius commorati navem e mari in ipsam terram trahere eiusque arma, ne tempestate corrumpentur, alicubi collocare consueverunt. In *o* ne uno quidem verbo navem in mare detrahi et arma inferri commemoratur, nam *ἐγχοσμεῖν* (*o* 218) non significat „inferre“ sed, ut vertit vocem Nitzschius Adnot. I p. 30 „darinnen ordnen“; iniuria igitur Kammerus *q* 52 sq. inserendos censet, cum diuturnam Telemachi commorationem minime improbet. Mihi quidem quae *o* libro narrantur subsequi ea quae *δ* exposita sunt una nocta interposita videntur. Errant autem, qui poetam dies accurate numerasse arbitrantur (cf. Kammer. l. c. p. 451. Nitzsch. Sagenp. p. 137. Jordan. in Fleckeisenii annalibus 1873 p. 86 sq.), id quod neque recentiorum multi intellegunt neque rhapsodi intellexisse videntur; deformaverunt igitur *o* libri initium versibus interpolatis. Recte puto Telemachum ne longius vagetur neve patris divitias proeis consumendas tradat admonere Nestorem; sine ulla causa eosdem usurpat versus Minerva *o* 10—13 (Kammerus in *γ* expunxit, in *o* retinuit versus p. 434 sqq.). Tum quae sequuntur de mulierum inconstantia, quomodo possunt de Penelope dici, quae non minus constantem sese quam ipse maritus praestiterat? Genuini igitur ii modo versus videntur, quibus Minerva procorum insidias indicat et de ipso reditu nonnulla suadet inde a versu 28. Qui antecedit versus 27 saepius paucis mutatis usurpatus est, ut genuina cum interpolatis coniungerentur. — Quod autem *o* 113—19 ex *δ* 613—19 iteratos invenimus, quibus describit Menelaus poculum Telemacho dono

datum, non aegre ferimus, quamquam Hermannus nullum incredibilius extare iterationis exemplum contendit, nam plane absurdum esse bis referri, quod semel factum sit. At minime bis refertur, Menelaum poculum hospiti donare, sed quale sit poculum, id bis narratur, id quod si undecim libris interpositis factum est a poeta apud audientes canente, non litteris versus mandante non est, cur miremur.

Restat iam, ut nonnulla afferam de locis quibusdam, quibus aliquid novi reperisse mihi videor.

¶ 7—23. Alcinoos cum Ulixē ad Phaeacum forum sese confert, ut reditum hospitis parari iubeat. Minerva dicitur in urbe *ἐκᾶστω γοῶτι παρισταμένη* convocare Phaeaces; ¶ 15 *ὡς εἰποῦσ' ὄτρυνε μένος καὶ θυμὸν ἐκᾶσιον*. Versus male translatus videtur ex Iliade, ubi saepe de iis dicitur, qui pugnantium animos oratione confirmaverunt. Sic E 470, E 792, Z 72, O 667, A 291, O 500, O 514. cf. Y 174. Ubique significant *μέρος καὶ θυμός* alacritatem studiumque pugnandi. Vocis *μέρος* vis gravior videtur, quam ut nostro loco apta sit. Nec melius placet totus, de quo agimus, locus. Ac primum quidem, ut omittam quod animadvertit Nitzschius adnotat. II. p. 168 veri simile esse, ipsam famam homines arcessivisse, non habetur contio, quae utrum Ulixes navi dimittendus sit necne constituat — tale aliquid abhorret plane ab institutis Homericæ aetatis — sed Alcinoos renuntiat populi principibus (*ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες*) se dimissurum esse hospitem; non consilium ineundum est, sed consilium ab ipso captum, quo satis certus est hospitis reditus, refert Phaeacum rex. Cur igitur Minerva perdit operam *νόστιον Ὀδυσσῆϊ μεγάλῳτι μητιόωσα* (v. 9)? Certe translatus est ¶ 9 ex ζ 14. — Tum quomodo Phaeacum quemque alloqui debet Minerva: *δεῦρ' ἄγε Φαιήκων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες*, qui versus originem ducere videtur a β 384; ¶ 22, 23 ut ineptos removet Nitzschius, quorum v. 23 respicit iam Zenodotus; ¶ 19, 20 cum componeret interpolator imitatus est β 12, σ 19 (ω 369). Ceterum *μετιόωσα*, quod usurpatur ¶ 9 semper coniungitur accusativo, aut ubi absolute, ut ita dicam, positum est τ 24 significat „mitgehen“. Quod legitur nostro loco *ἀνὰ ἄσιν μετιόωσα* ¶ 9. poetae consuetudini repugnare videtur. Quae cum ita sint, eiecerim ¶ 7—23; fuere fortasse ante interpolationem nostro loco β 6—9. Ceterum saepius accidisse videtur, ut componerent rhapsodi versus de deis homines adiuvantibus, de quibus disserendi fortasse offeretur nobis occasio. Kirchhoffius quidem (Die Homerische Odyssee und ihre Entstehung p. XVI) optimo iure eiecit η 18—83, quorum η 75—77 inveniuntur ζ 313—15, quod bis Ulixi nebulam circumfundi a Minerva refertur, quos quidem in Attica compositos esse contendit G. Haag: Quaestionum Homericarum particula, quae est de recensione Pisistratea. Halis Sax. 1865 p. 38.

¶ 514—20. Proteus Menelao, quid perpeusus sit Agamemnon in reditu refert: repulisse eum ad Maleam promontorium ventum *ἐπὶ πόριον ἄγροῦ ἐπ' ἐσχαίην, ὅθι δῶματα ναῖε Θεσπιάδης Αἰγισθοῦς*. Multa sunt in his versibus, quae displiceant; ut omittam terrae descriptionem, de qua cf. Nitzschium adnot., quid sibi volunt verba *πόριον ἐπ' ἰχθυόεντα γέρον*

ἀγροῦ ἐν ἑσχατιῇ? Ubi erat Aegisthus? in Agamemnonis regno an domi? Nitzschius et Bekkerus ed. alt. locum sanare conati sunt eo, quod 517, 18 post 520 posuere. At certum interpolationis vestigium, si quid video, hoc est: hoc uno loco Aegisthus *Θρεστιάδης* appellatur et Aegisthum cum Agamemnone cognatum fuisse commemoratur. Quid? Homerus si Aegisthum cum Atridis sanguine coniunctum finxisset, nomine aliis locis, ubi de eius facinore res est, consanguinitatem debebat commemorare? Quod appellatur Aegisthus *παροφονεύς*, non repugnat nobis, cum non significet „Verwandtenmörder“, sed ubique talis sit verborum coniunctio: *Ὁρέσθης ἔκτανε παροφονῆα* id est „den Mörder seines Vaters“. Contenderim igitur Homerum Aegisthi cum Atridis consanguinitatem ignorasse eodem modo quo Pelopidarum facinora alia. cf. *B* 105 sqq. Et deprehendimus interpolatorem, quomodo versus composuerit: adiecit, Agamemnonem repulsum esse a Maleo promontorio famoso antiquis temporibus (cf. Nitzschium adnot. III p. 22. Strabo VIII, 218 tradit proverbium: *Μαλέας κάμψας ἐπιλάθον τῶν οἴκαδε*) et versus alimunde petiit cf. *ε* 419 sqq. *ψ* 316 sq.

Sed ne spatium mihi assignatum nimis excedam omissis quae nonnullis de locis ut de versibus *X* 194—213, *ψ* 117—170 removendis eram disserturus pauca de reliquis interpolationum generibus huc pertinentibus addam:

6) Saepe usi sunt interpolatores poetae versibus, ut interpolata cum genuinis coniungerent et imprimis usurpatur versus:

*ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεις σῆσιν*  
 vel: *ἄλλ' ἄγε μοι τόδε εἰπέ καὶ ἀγορεύεις κατ' ἄλεξον,*

qui bis positus *α* 206 et 224 nescio an spuria cum genuinis coniectat. Et amant interpolatores eodem quo deflexerunt ad gemina redire versu, cuius rei exemplum indagavit luculentissimum Lehrsius Arist. p. 435 sqq., ubi v. v. *ψ* 798—864 interpolatos esse ostendit; est autem 798=864. Huc pertinet, quod de *ε* 427—437, quorum 427 et 437 simillimi, sibi persuasit Nitzschius adnotat.

7) Rhapsodos persaepe poetae versus translatos mutavisse et variasse per se intellegitur. Tales versus significant scholia verbis „παροφθίγμαι ἐκ τοῦ δεῖναι“, ut cum *O* 414 sqq. libro *M* 175 sqq. insererentur pro *ἀμφ' ἄλλῃσι γέεσσι* inepte positum est: *ἄλλῃσι πύλῃσι*, quamquam unam modo portam habuit castrorum murus. — Sic *T* 94 ex *I* 507, *ψ* 806 ex *K* 298 fictos esse docuit Aristarchus. Qui inseruit *O* 511—13 imitatus esse mihi videtur *μ* 350, 51: qui composuit *B* τὴν γερόντων βουλὴν *Ω* 220 sqq.

